

**Duumviris clarissimis,**  
**Fr. Theophilo Welkero et Friederico Ritschelio,**  
philologis Rhenanis,  
S. Q. P. D.  
**Mauritius Fleischer.**

---

Quo artificio versutum Sosiorum genus uti solet, ut titulorum splendore qualibuscunque libellis praetexendo credulos homines ad emendum pelliciant, id ego nunc experturus possim videri, qui Vestris nominibus inscriptis scriptiunculae meae commendationem quandam parare velim, quam ipsa, si suoapte Marte staret, nequam haberet. At talis ratio ut audacior foret quam astutior, ita a meo ingenio est alienissima. Scribendi potius de Horatio lyrico consilium quum tempore, negotiis, scholasticae denique scriptionis natura in perbreve spatium compulsus esset, commodum mihi visum est, paucas schedas meas epistolae forma indui, ut hoc in loco non reconditam quandam doctrinam quaerendam esse et me confabulantis potius quam disserentis partes agere statim appareret. Hanc autem epistolam ad Vos perscribere ausus sum, quod et Vos peritissimos hujus rei arbitros esse scio, et Vobiscum de eadem re superiore anno cum altero, quem visere contigit, collocutus sum, cum altero collocutus essem, si domi reperire contigisset. At — erat quiddam praeterea, quod me impulit, ut Vestra nomina in principio scriptionis meae ponerem, quod facere non possum quin ingenue profitear. Scitote esse hodie furiosum quoddam hominum genus, quod omnia „negare“, „destruere“, „subvertere“, „corrodere“ radicitusque convellere tam malitiose quam temerarie studeat. Omnia? forsitan quaeratis. Omnia, inquam: dicuntur certe, atque dicuntur a viris, quorum magna in his rebus solet esse et scientia et auctoritas. Hi homines quum incredibili quadam mentis pravitate ducti omnia miscere, humana et divina promiscua, nihil pensi neque moderati habere, rapere, trahere ac ne summis quidem hominum deliciis atque amoribus parcere putentur, videtis, quam sint periculosi, quanto sint multis mortalibus horrore, suspicamini. Vocantur autem vulgo „revolutionarii“; qui fontem rei perspicere sibi videntur, novos philosophos appellant. Ut autem naturae beneficio cautum est, ut exitiosae res salutaribus prudenter tanquam temperarentur, atque venena sua quaeque antidota haberent, sic a deo aliquo propitio pestiferis istis hominibus aliud quoddam genus appositum est, quod pro bono publico perversum novarum rerum studium destruendique cupidinem diligenter custodiret atque observaret. Qui simulac periculi aliquid odorati sunt — A verruncos rectius, an anseres Capitolinos vocemus dubito —: Ecce, clamitant, etiam hic est unus ex imberbibus istis

philosophis, qui omnia subvertere mundumque ex suae mentis legibus describere volunt, cavete! niger est! Sic infami litera inusta abeunt, illa autem haeret, ut in proborum et in improborum manus incidisse pariter fatale esse dixeritis. Jam ego etsi neque imberbis esse mihi videor, neque philosophum me audeo dicere, tamen vereor, ne, quanta est ingruentis vis mali, etiam in his pagellis philosophandi quidam pruritus animusque destruendi si non erumpat, tamen perspiciatur atque anseres illos excitet, ut clamorem tollant. Quod quum vitare etiam atque etiam vellem, ea, quam Vobis debeo, reverentia quasi auxilio venit; quae quum suaderet, ut Vestro potissimum iudicio quidquid commentatus essem, proponerem, simul viam patefecit, qua me tutum aliquo modo praestarem, ut et Vestro honori — si talequid in honore habendum — et meae utilitati consuluisse viderer. Quum enim tam spectati ingenii tantaque auctoritatis viris nihil rei esse posse cum homine Catilinario certum esset, fore sperabam, ut, si Vestra nomina tanquam auspici-um commentatiunculae meae facerent, minus suspiciose legerentur ea, quae sane ita eomparata sunt, ut Catonibus philologorum aliquas suspiciones possint movere. Num fas fuerit sic Vestro patrocinio uti, Vestrum erit iudicium, ornatissimi Viri; quod si, quae Vestra est humanitas, indulgentius fuerit quam severius, aures quaeso adhibete atque benigne auscultate dicenda tacenda loquentem.

Ingentem illum motum, quo hodie quum ingenia hominum tum doctrinae prope omnes agitantur et fluctuant, minus usque adhuc ad philologiam pertinuisse constat. Id utrum in laude philologorum ponendum sit, necne, in medio relinquam, sed tamen Horatio Flacco nuper accidit, ut in jus vocaretur a viris artem criticam factitantibus, qui eum e lyricorum poëtarum numero eximendum esse censerent. Quod quum neque sine argumentationis subtilitate ac probabilitate factum sit, neque desint reo patroni et ipsi acerrime gloriam ejus tuentes ac defendentes, neutiquam profligata est controversia possuntque multa adhuc utrimque proferri, quibus causa poëtae rectius cognoscatur. Quare ego, qui facere non possum quin adversariis illis lyrae Horatianae magna ex parte assentiar, pro virili parte operam dabo, ut quaedam ad hanc quaestionem pertinentia attingam si minus nova, tamen non satis hucusque, ut mihi quidem videtur, perpensa.

Ac nemini fere poëtarum tantam apud eruditos omnium aetatum homines gratiam, quantam Horatio contigisse videmus, quam tantum abest ut pro nihilo putem, ut haud parvi momenti ad iudicandum poëtam esse debere existimem. Testatur ea gratia, esse aliquid in Horatio, quod vel in maxima iudiciorum ingeniorumque diversitate hominibus delectationi esse potuerit nitique mihi maxime videtur in sententiarum densitate ad miram evidentiam perspicuitatemque elaborata, in magna acie ingenii non minore urbanitate temperata, in salibus facetiisque per omnem sermonem aequabiliter fuis, in orationis, quam dicit Petronius<sup>1)</sup>, curiosa felicitate, in tersa illa, limata elegantique forma atque in sententiarum, ut ita dicam, communitate, qua ad omnes omnium aetatum homines pariter pertineant omnibusque et praecepta et percepta videantur; quae virtutes et sermonum, qui dicuntur, et magna ex parte carminum propriae quamquam illos solos praestantissimos, haec non poterant reddere vere poëtica, tamen imprimis magnum illum poëtae favorem videntur conciliasse. Hinc factum est, ut nostrates quo tempore peregrinari in Francogallorum literis et moribus desierunt atque se suumque sermonem ad suae gentis ingenium revocarunt, in magna

<sup>1)</sup> Satir. 118, 5.



linguae parum exercitatae inopia conformataeque orationis egestate Horatium tanquam summum poetam admirarentur ac praecipue carmina ejus pro perfectissimis verae poësis operibus haberent<sup>1)</sup>. Tantam vim habuit elaborata sententiarum forma, tamque parum ipsis quid in lyrica poësi desideraretur amplius, perspectum erat! Herderi quidem acumen frigida illa carminum Horatianorum operositas fugere non poterat, quare haec scripsit<sup>2)</sup>: „Gewöhnlich hat man es für blosser Höflichkeit gehalten, wenn Horaz mehrmals versichert, dass er hohen Gegenständen nicht gewachsen sey, dass er nicht, wie Pindar, erhaben brause, sondern, wie eine Biene, geschäftig sammle. Dieses hüfliche Wort ist aber Wahrheit. Allen seinen sogenannten erhabenen Oden merkt man Mühe an; in der Zusammensetzung haben sie Härten und Spalten.“ Sed ne is quidem ex admiratione carminum quasi traditione propagata ita emersit, ut non aliis locis pleno ore profiteretur. Latius patet graviusque videtur judicium Goethii, quod nobis servavit Riemerus<sup>3)</sup>: „Horaz's poëtisches Talent anerkannt nur in Absicht auf technische und Sprachvollkommenheit, d. h. Nachbildung der griechischen Metra und der poëtischen Sprache, nebst einer furchtbaren Realität ohne alle eigentliche Poësie, besonders in den Oden.“ Quod hi quasi praetereuntes tetigerunt, id et copiosius et enucleatius comprobavit Hegelius in ea parte doctrinae aestheticae, in qua quum de vi et natura universae poësis lyricaë disserteret, tum singula quaeque ejus genera descripsit singulorumque poetarum exempla ad demonstrandum adhibuit<sup>4)</sup>. Atque quae de Horatio lyrico dicit, eo fere redeunt, ut multa in eo esse dicat, quae frigeant, quae callido artificio fabricata operosaque meditatione parta, non spiritu ac fervore commotioris animi effata sint, multa, quae elegantiam provida mente elaboratam doctamque imitationem, non poësin contineant. Gravissimum autem hujus viri est judicium de lyrica poësi Romanorum universa, quod legimus l. l. p. 472: „Bei den Römern findet die lyrische Poësie einen zwar mehrfach angebauten, doch weniger ursprünglich fruchtreichen Boden. Ihre Epoche des Glanzes beschränkt sich deshalb vornehmlich Theils auf das Zeitalter des Augustus, in welcher sie als theoretische Aeusserung und gebildeter Genuss des Geistes betrieben wurde, Theils bleibt sie eine Sache mehr der übersetzenden oder copirenden Geschicklichkeit und Frucht des Fleisses und Geschmack's, als der frischen Empfindung und künstlerischen originalen Konzeption. Dennoch aber stellt sich, der Gelehrsamkeit und fremden Mythologie, sowie der Nachbildung vorzugsweise kälter alexandrinischer Muster ungeachtet, die römische Eigenthümlichkeit überhaupt und der individuelle Character und Geist der einzelnen Dichter zugleich wieder selbstständig heraus, und giebt, wenn man von der innersten Seele der Poësie und Kunst abstrahirt, im Felde sowohl der Ode, als auch der Epistel, Satyre und Elegie etwas durchaus in sich Fertiges und Vollendetes.“ In quo judicio quamvis magna ex parte verissimo quam essent quaedam inter se repugnantia, jure nota-

1) Prutz Götting. Dichterb. p. 49. cf. p. 45 Sqq. Gervinus Neuere Gesch. d. poët. Nationallit. d. Deutsch. I, p. 202 Sqq.

2) Sämmtliche Werke, Zur schön. Lt. u. Kunst. T. 11, p. 114.

3) Mittheilungen über Göthe. T. 2. p. 643 Sq.

4) Sunt autem singuli, qui huc pertinent, loci hi: Aesthet. T. III, p. 428. 439 Sq. 451. 459.

vit Sigmundus Teuffel in libro<sup>1)</sup>, de quo paullo post pluribus dicam. Sed quod in ceteris philosophiae locis velut in jure, in religione, aliis, ab Hegelio tractatis accidit, ut quantocumque ingenii impetu universa rerum comprehendit ac divinitus perspicit, in singulis saepe rebus humi eum serpere atque in solitis consuetudineque receptis haerescere videamus, idem in arte recensenda nonnumquam usuvenit, ac ne Hegelii quidem de Horatio judicium omni ex parte mihi satis esse profiteor. In publicam autem disceptationem rem primus videtur vocasse collega quondam meus, Adolfus Stahr<sup>2)</sup>, vir peringeniosus; nam Hofman — Peerlkampii censura etsi offensione ac fastidio multarum rerum, quae in Horatio leguntur, exorta est, tamen quum culpam non in poetæ ingenio, sed in quadam codicum manuscriptorum corruptione haudquaquam probabili quaereret, nonnullorum philologorum studia in se convertere potuit, ceteros non potuit. Stahrium secutus est Sigmundus Teuffel et in annalibus Halensibus<sup>3)</sup> et in libro, quem supra diximus<sup>4)</sup>, qui vir mihi et docte multa congerens et ingeniose multa observans plurima, quae ad rectius de Horatio constituendum judicium pertineant, vel cursim attigisse, vel accuratius videtur exposuisse. In iis autem, quae non satis recte mihi statuere videtur, de quibus singulis quum haud pauca sint, hoc loco non licet disputare, hoc maxime pono, quod in Horatium ejusque ingenium permulta tanquam singularia contulit, quae ad totam aetatem ejus pertinent omniumque id aetatis Romanorum ita erant propria, ut omnis omnium sentiendi vivendique ratio eodem quasi fundamento niteretur. Quod autem nuper<sup>5)</sup> sententiam suam ex parte mutasse profiteatur, quum sibi ipse antiquae et novae lyrae naturas inter se confudisse videatur, id quomodo probaturus sit, exspectandum est; vereor tamen, ne non hac ratione ejus de Horatio judicium corrigi possit, antiqua enim et nostri temporis lyrica poësis ut sunt diversissimae, ita ejusdem sunt generis atque ad eandem videntur legum normam exigendae<sup>6)</sup>.

Jam si quaeritis, post horum virorum curas quid ego propositurus sermonem Vobiscum conferam, paucae duntaxat erunt observationes, quibus ostendam, quid sentiam quum de ingenio Romanorum universe, tum de aetatis Horatianae indole, de quibus rebus si non falsa erunt quae

1) *Characteristik des Horaz. Ein Beitrag z. Literaturgeschichte. Leipzig 1842.*

2) *Hall. Jahrb. f. d. W. u. K. 1840. No. 207 — 8.*

3) 1841. No. 106 — 112.

4) Ex ejusdem studiis profectum est nuper: *Horaz. Eine literarhist. Uebersicht. Tübingen. 1843.*

5) *Horaz, eine literarh. Uebers. praef. p. V.*

6) Atque quod in ceteris fere rebus fieri videmus, ut quo graviore rei adversarii existant, eo ardentiore patroni amore amplectantur, id Horatio quoque contigit, cujus lyra quo tempore magis magisque in dubium vocari atque contentui esse coepit, eodem viros nacta est, qui ejus laudes virtutesque interpretando demonstrare a criminibusque vindicare summo opere studerent. Huc referendi sunt imprimis tres libri: Friderici Lübkeri opus diligentissime elaboratum (*Commentar zu Horaz's Oden I—III. Schleswig. 1841.*), Guilelmi Monichii dulciculae cantilenae (*Horazische Lyra in ihrer Eigenthümlichkeit und Integrität. Berlin. 1841.*), denique Henrici Düntzeri liber sane quam mirabilis (*Kritik und Erklärung der Oden des Horaz. Braunschweig. 1840.*) qui viri quum Mitscherlichiorum κατηγορήματα: „elegantier“, „docte“, „suaviter“, „graphice“ etc. non satis habentes ad hodiernam doctrinarum rationem singula quaeque eruere, perscrutari subtiliterque quam essent necessaria poeticaeque rationi accommodata comprobare conarentur, intelligere non possum, quomodo non viderint, quam multa in Horatio interpretando invehent ab ejus Romanorumque ingenio alienissima, quamque multa nullo modo in poësi habenda pro poësi venditarent.



exposuero, fieri non poterit, quin ad quaestionem de Horatii carminibus absolvendam utilitatis aliquid redundet. In his autem adeo non nova atque subtilia consector, ut gavisurus sim, si plana omnibusque rata dixerim, quo certiore jure a doctis viris constantiam iudicii flagitare possim.

Quum omnes populi, tum etiam Romani propriam quandam habent naturam, quae omnem omnium rerum rationem moderatur, cujus tanquam ductu et auspiciis quicquid vel agunt vel loquuntur vel patiuntur, in qua elaboranda et universi et singuli quique occupati sunt atque ut universi populi et magnitudo et labes, sic singulorum vis ac potestas nititur ac cernitur. Atque Romanorum natura tam certa ac singularis est, ut eum, qui res gestas eorum vitamque contemplatur, fugere nullo modo possit. Ubique nobis apud eos labor, gravitas, sobrietas ac temperantia, prudentia, constantia, animus propositi tenacissimus utilitatisque providus, mens rerum veritatem ubique spectans omniaque ad calculos vocans, strenuitas ac fortitudo sunt obvia, quae conjuncta Romanam illam Virtutem effecerunt, qua reipublicae quisque summo fini, gloriae et imperio, deditus ac devotus cum durissima sui neglectione omnibusque rebus, quae propagando imperio augendaque potentia alienae viderentur, pro nihilo habitis patriae enixe serviebat. Talia autem ingenia non solum ab omni animi sensuumque mollitia remotissima, sed etiam ad pulchritudinem ac venustatem ideasque internam rerum rationem spectantes parum erant curiosa <sup>1)</sup>.

Atque quae hic ingenii Romani propria fuisse dixi, eadem fere in ipsa lingua ac sermone hujus populi quasi recinunt ac resonant. Lingua Romana gravis est ac severa, non sine duritia et parsimonia quadam, sana est ac perspicua, subtilis et potens, sonans, non dulce, sed plene, neque non ad pompam quandam vel ostentationem facta, non facilis ad tractandum atque flectenti et componenti parum obsequiosa. Vere igitur Quintilianus XII, 10, 34 <sup>2)</sup>: „Itaque tanto est sermo Graecus“, inquit, „Latino jucundior, ut nostri poetae quoties dulce carmen esse voluerint, illorum id nominibus exornent. His illa potentiora, quod res plurimae carent appellationibus, ut eas necesse sit transferre aut circumire; etiam in iis, quae denominata sunt, summa paupertas in eadem nos frequentissime revolvit: at illis non verborum modo, sed linguarum etiam inter se differentium copia est.“ Extitit sane quidem Cicero, quo nemo umquam neque studiosius nec felicius sermonem patrium excoleret, qui quum incredibili et usu et literarum Graecarum studio instructissimus primus et verbis delectum adhiberet et compositioni artem, mirum quantum sermonem pauperem locupletavit, horridum numeris et concinnitate mollivit, severum urbanitate quasi hilaravit, ferocem elegantem reddidit. At reputantibus nobis, quam depravatam jam hujus dicendi magistri aetate ingenium Romanorum fuerit, quamque celeriter sermo latinus, postquam semel antiquae simplicitatis vincula soluta essent, ad insolentiam, temeritatem, fucatum splendo-

1) Multae multorum, imprimis autem Hegelii, sententiae possunt proferri in eundem modum de Romanorum ingenio disserentium. Unum produxisse sufficiat Eduardum Gansium: „Die Römische Welt ist keine Welt des absoluten und wahrhaft unendlichen Geistes, wie das Griechenthum, aber eine Welt, in der alle Tugenden der Endlichkeit, der Einseitigkeit, der Männlichkeit herrschend sind. Es ist die Welt der Arbeit, des Ernstes, der Mässigkeit, der Ausdauer, aber auch die Welt, in welcher der Verstand das Substantielle und Schöne vollkommen verdrängt hat. An die Stelle des Ideals ist der Kanon getreten.“ Jus heredit. Rom. II, 18 sq.

2) Alios et Quintiliani et Senecae locos huc pertinentes vid. ap. Bernhardy, *Grundriss der Röm. Literatur* p. 1 sqq. et ipsum de sermonis Romani indole disputantem.

rem inanumque verborum illecebras perversissima ratione deflexus ac detortus sit, haud scio an dubitandum sit, num omnia, quibus Cicero orationem latinam conformasse et excoluisse putetur, quibusque eam et suae aetatis et nostris auribus jucundiores reddiderit, Romano ingenio vere accommodata fuerint. Jam vero ille antiquus ac sincerus sermo grandis ille quidem et magnificus, sed veneris et gratiae expers, ut ingenium ipsum loquentium, parum aptus videbatur ad versus factitandos, — ad leges ferendas, ad imperia edicenda, ad consulendum et concionandum, ad jus dicendum aptissimus.

Quale autem ingenium populi descripsi, quodque vel ex sermonis natura apparet, id tota vivendi ratione comprobatur. Non sibi Romani suisque, sed patriae nati sunt vivuntque omnes non sibi, sed reipublicae ejusque commodis. Domesticae vitae tantum est, quantum respublica vel concedit, vel desiderat, liberorum educatio talis <sup>1)</sup>, qualem requirunt, qui legibus obtemperare, qui arma gerere, qui fortes milites et boni cives fieri velint, studia virorum ea, quibus ad gubernacula reipublicae sedere, quibus pacem et bellum administrare, quibus civium benevolentiam comparare, quibus regere civitatem legibus discatur. Forum, curia, castra tanquam cardines rerum esse videntur. Quare quicquid publicae vitae et alacritatis est in Romanis, id in comitiis habendis et obeundis, in honoribus petendis et mandandis, in legibus ferendis et jubendis, in bellis gerendis et in provinciis administrandis, in consultando et in jure dicendo, in litibus intendendis et caussis dicendis fere cernitur. Privata autem vita colendo agro, educandis liberis, coercenda familia continetur. Quae sunt cetera negotia, quibus vel quaestum facimus vitae sustentandae causa, vel animum nostrum excolere delectareque volumus, aut contenta jacebant, aut in levibus mediocribusque habebantur. Illiberales igitur et sordidi quaestus mercenariorum omnium, quorum operae emuntur, sordidi mercatores, sordidi opifices omnes <sup>2)</sup>; artes autem nisi quae reipublicae commodis viderentur inservire, otiosorum hominum putabantur. Sed de artibus paullo post viderimus accuratius. — Quamobrem quum in republica toti essent omnes summusque quasi finis reipublicae esset imperium Romanum, factum est, ut primum civitas summa ope niteretur, ut omnibus jure ad rempublicam accedere eaque frui pariter liceret, deinde ut aequato jure omnium omnes deinceps cognitae terrae gentes subactas in certam imperii formam redigeret, denique ut, quum nihil haberet amplius, quod sectaretur et acquireret, nihilque, quo ex se ipsa renasceretur ac reviresceret civesque suos novis studiis quasi impletet atque reficeret, in immensam dissimillarum voluntatum diversissimorumque studiorum turbam et confusionem dilaberetur.

At sic naturam ingeniumque Romanorum delineans quum totos in republica gerenda fuisse affirmaverim, nonne religionem praeterisse videor, qua nihil in plurimis gentibus conformandis efficacius, nihil ad describenda ingenia eorum significantius esse solet? Quid? quod Romani religiosissimi omnium habebantur, ut Cicero scribere posset <sup>3)</sup>: „si conferre volumus nostra cum externis,

1) Ei parum prospectum fuisse concedit Cicero in fragmento de rep. IV, 3: Principio disciplinam puerilem ingenuis; (de qua Graeci multum frustra laborarunt, et in qua una Polybius noster hospes nostrorum institutorum negligentiam accusat); nullam certam aut destinatum legibus, aut publice expositam, aut unam omnium esse voluerunt.

2) Nec enim quicquam ingenuum habere potest officina. Cic. de off. I, 42.

3) de nat. deor. II, 3.



ceteris rebus aut pares, aut etiam inferiores reperiemur; religione, id est cultu deorum, multo superiores;“ quodque nullam vitae eorum partem neque domesticae neque militaris, neque publicae neque privatae vacare auspiciis caerimoniisque videmus. Et tamen paullo diligentius considerata religionis Romanae ratione hoc sine dubio apparebit, neque immerito Ciceronem Romanos vocare religiosissimos, et jure me religioni parum momenti tribuere ad ingenium eorum et conformandum et describendum, utpote qua nisi adjutrice quadam administraque ad id, quod propositum erat, consequendum non uterentur, id quod de Graecis minime liceret dicere. Atque quid est, quod singuli quique in republica capessenda, quid est, quod universa civitas in imperio propagando petat et anquirat? Sunt externae, quas dicimus, res, honor, auctoritas, opes, splendor, divitiae, gloria, in quorum expetendorum potestate Romanorum libertas, in quibus impetratis potentia continetur. Hinc patet ea libertas et potentia quam sint angustis finibus circumscriptae. Ubi in sui similibus rebus animus versatur et operam collocat, ibi vere liberum vereque potentem se sentit; ubi vero extra se positas res anquirat et captat, in incerto parumque stabili rerum genere occupatus est casusque temeritate usquequaque vexatur. Hinc quamvis liberum se sentiat, quamvis potentem, metuit, formidat, angitur; hinc casum illum quacunque ratione quasi ad calculos vocare, praeoccupare, placare, conciliare sibi studet. Habes religionis Romanae naturam paucis adumbratam. Romani ad omnes res curiosi, ex omnibus rebus solliciti sunt, religio eorum est metus, timor, formido, terrores, pavor in superstitionem versus. Quicquid agunt, deos respicientes agunt, neque tamen deos respiciunt, nisi quod per eos impetrare aliquid, vel consilia sua sarta tecta reddere, vel damna avertere volunt. Ingens est multitudo earum rerum, ad quas attendere atque e quibus deorum voluntatem divinare student, innumerabilis ostentorum, monstrorum, portentorum, prodigiorum copia. Quae tamen omnia tantum aberat, ut per se quidquam valerent, ut nisi hominum jussu neque observarentur neque aestimarentur; quapropter, ut hoc exemplo utar, decemviri libros Sibyllinos non inspiciabant, nisi jussi, augur nemo auspicabatur, si senatus decreto cautum esset, ne quis de coelo servare vellet, quid? quod Clodius legem Aeliam et Fufiam funditus sustulit. Ingens deinde erat rerum copia, quae pontificum scientia et Etrusca disciplina docerentur, quibusque quicquid terrorem injecerat, procurarent. Ingens denique deorum numerus. Nam quum qui in externis rebus potiundis externaeque dominationi subjiciendis totus est, in omnibus rebus vel vilissimis vires quasdam sive in natura sive in opinione positas vel videat vel suspicetur, quae aut obesse aut prodesse suis consiliis posse videantur, sollicite Romani omnia haec tanquam numina colebant atque adorabant, novos in dies deos anxie conquirebant, ne quod numen obliti esse viderentur, neque quicquam tam leve, tam humile tamque abjectum erat, quod non, metu quodam ingruente, pie sancteque venerarentur. Habemus igitur Romae Jove illo Capitolino quasi praeside praeter deos indigetes atque Italicos fere omnium gentium deos convocatos partim sollemniter Romam traductos, ut Aesculapium, Magnam Matrem, partim in expugnandis hostium terris et urbibus evocatos; habemus Fidem, Felicitatem, Victoriā, Pacem, Spem, Bonum Eventum, Libertatem, Honorem, Tranquillitatem etc., habemus Aerumnam, Famem, Febrem, Deam Cloacinam, Fornacem, Robigum, Nodotum, Runcinam, Occatorem, Sterquilinum etc., habemus Jovem Pistorem, Junonem Unxiam, Monetam, Ossipaginam etc. postremo habemus tantam tamque variam deorum copiam, quantam enumerare potest nemo, ut, quod Petronius dixit<sup>1)</sup>, facilius

<sup>1)</sup> Satir. c. 17.

Romae deum invenire posses, quam hominem, utque, quod in tanta deorum et cultuum confusione mirum esse non potest, Alexander Severus quum multos deos, tum imprimis Apollonium, Christum, Abrahamum et Orpheum adorasse dicatur <sup>1)</sup>).

Quodsi quaeritis in hac re exponenda cur tam multus fuerim — id egi, ut demonstrarem, in tanta religione apud Romanos nullius tamen ad ingenium populi excolendum momenti fuisse religionem, et quamquam vita Romanorum ab omni parte sacris caerimoniis ac formis circumscripta, omniaque diis eorumque cultu quasi impleta erant, tamen, quum illi dii non altiore quodam animi desiderio, sed quasi metu quodam externarum rerum geniti essent cultusque eorum non in incorrupta pietate, sed in quadam utilitatis ratione niteretur, numquam quicquam apud eos, quod vel magnum, vel bonum, vel verum, vel pulcrum dici posset, e religione ortum esse. Tenendum potius est id, quod jam dixi, omnem omnis vitae rationem Romanorum positam fuisse in iis rebus, quae reipublicae nomine continentur; ac si quid praeterea fuit, quod spectare vel colere viderentur, in instrumentis id reipublicae habebat. Atque id in religione mihi satis manifestum est. Jam in artibus qui fuerint, viderimus.

Atque in arte quaerentibus nobis quid Romani et praestiterint et potuerint praestare, videntum erit ingenium ad artem idoneum quomodo comparatum et quasi temperatum natura esse necesse sit. Ut enim non omnis populi ingenium ad artem colendam natum et instructum est, ita, quod alterum ex altero consequitur, non omnis populi vita eam rerum materiam praebet, quae tractari arte ac fingi possit. Quum autem hoc loco artis naturam ad philosophorum modum subtiliter copioseque persequi non liceat, satis erit historiam antiquitatis consultasse, ut ii populi,

1) Religionis Romanae rationem exploranti Hegelius in phil. rel. II. p. 128 sqq. haud pauca praebet, quae si ipse rei non imperitus sit, in usum suum possit convertere. Qui quum multa egregie, tum hoc dicit: „Rom ist ein Pantheon, wo die Götter neben einander stehen und sich gegenseitig auslöschen und dem einen Jupiter Capitolium unterworfen sind.“ — Hartungii librum inspicere non contigit. Fere nihil praebet, qui multa pollicetur liber C. Hauptii: *Allg. wissenschaftl. Alterthumskunde oder der concrete Geist des Alterthums*. Altona. 1839. Uberrimam autem rerum silvam etsi ad perversas sententias comprobandas congestam habemus ap. Beaufortium: *Die Römische Republik. Uebers. Danzig. 1, 77. sqq.* — De auspiciis senatus decreto vetitis vid. Cic. p. Sext. 61, de sublata per Clodium lege Aelia et Fufia ibid. 26., de diis ex hostium urbibus evocatis Liv. V. 21. VI, 29. — Atque superstitiosa hujus religionis ratio luculenter demonstratur eo exemplo, quod Cicero ad probandam et Romanorum pietatem et augurum haruspicumque auctoritatem affert de nat. deor. II, 4, quod tironum gratia appono: „Atqui et nostrorum augurum et Etruscorum haruspicum disciplinam P. Scipione, C. Figulo coss. res ipsa probavit: quos quum Ti. Gracchus, consul iterum, crearet, primus rogatorum, ut eos retulit, ibidem est repente mortuus. Gracchus quum comitia nihilominus peregisset remque illam in religionem populo venisse sentiret, ad Senatum retulit; senatus, quos ad soleret, referendum censuit; haruspices introducti responderunt non fuisse justum comitiorum rogatorem. Tum Gracchus, ut e patre audiebam, incensus ira, Itane vero? ego non justus, qui et Consul rogavi et augur et auspicato? an vos Tusci ac barbari auspiciorum populi Romani jus tenetis et interpretes esse comitiorum potestis? Itaque tum illos exire jussit. Post autem ex provincia literas ad collegium misit, se quum legeret libros, recordatum esse, vitio sibi tabernaculum captum fuisse, hortos Scipionis, quod, quum pomoerium postea intrasset habendi senatus caussa, in redeundo, quum idem pomoerium transiret, auspicari esset oblitus: itaque vitio creatos consules esse. Augures rem ad senatum: senatus, ut abdicarent consules; abdicaverunt. Quae quaerimus exempla majora? Vir sapientissimus ac haud scio an omnium praestantissimus peccatum suum, quod celari posset, confiteri maluit, quam haerere in republica religionem: consules summum imperium statim deponere, quam id tenere punctum temporis contra religionem.“



qui in arte elaboraverunt, videamus quomodo comparati fuerint. Atque initia quaedam artis reperimus apud orientis populos, nondum tamen eam tanquam sui juris factam esse necdum proprium quoddam principium, quod in pulchritudine effingenda cernitur, assecutam esse apparet. Habemus igitur illic artis quoddam duntaxat quasi simulacrum, cujus monumenta non pulchritudinis legibus humanitateque temperata vastam quandam immanitatem, portentosam magnitudinem et mirabilem saepe deformitatem prae se ferant. Cujus rei caussa non in obscuro est. Nondum enim genus humanum ad tantam libertatem provectum erat, ut suam in rerum natura vim et potestatem perspiceret; utque animus humanus parum firmatus adhuc ac roboratus externarum rerum naturae magnitudine terroribusque percutiebatur et quasi opprimebatur, sic haec natura quum in civili domesticaque vita, in religione et in moribus constituendis mirum quantum dominaretur, tum etiam in arte regnasse putanda est. Ubi primum autem libertas humana existit, artem laetissime efflorere videmus. Constat id in Graecis contigisse, et quemadmodum Romanos in republica, sic Graecos in arte totos fuisse reperimus. Graecae autem libertatis rationem si ad formulae brevitate vocaveris, ferme haec est, ut ingenium ibi humanum sui juris potestatisque conscium cum rerum natura ejusque vi aequabiliter quasi temperatum egregium concentum efficiat. Quamquam igitur Graeci cognito hominis in rerum natura jure potentiaque maximum humanitati honorem habent adque humani ingenii normam ac mensuram omnia fingunt et exigunt, tamen naturam tantum abest ut despiciant aut oderint, ut sui similem esse sentiant atque in singulis ejus rebus tanquam humanitatis suae genios colant ac celebrent. Hinc summa illa Graecorum tranquillitas animi et hilaritas, quum animus humanus ad libertatem recens natus in rerum natura velut in parentis sinu atque complexibus ludat et laetitiam agitet omniaque ad sui speciem libere fingat ac formet; hinc summa illa omnis vitae quasi harmonia, cujus temperamento ita omnia instituta et moderata sunt, ut venustate et modo artem ipsa ad fingendum invitare videantur; hinc denique et hominum ingenia artis cupidissima et uberrima in republica, in religione, in moribus omni que vita artis tanquam materies.

Etiam Romanos liberos fuisse scimus, sed eorum libertas omnisque animi status quantum differat a Graecis, ex iis, quae supra exposui, facile est ad videndum. Neque enim laetari in rebus exsultareque Romani, sed dominari, non ludere nec delectari, sed rapere, trahere inque suum commodum convertere, non se suasque ideas in rebus intueri ac celebrare, sed cuncta praeter se nihili habere ideoque in servitute quandam detrudere volunt. Quare non rerum ideas, sed externam speciem, non pulchritudinem, sed utilitatem et magnitudinem spectant, non fingunt et formant, sed bella gerunt ingentemque rerum stragem edunt. Item demonstravimus hoc ferox et quasi superbiens libertatis genus quomodo in contrarium sui, in servilem quemdam metum ac superstitionem necessario et invertatur et inversum sit apud Romanos. Quid plura? Romani arti operam dare nec volunt nec possunt. Non volunt, quod majora et graviora facere quodque non in otio, sed in publicae vitae sole atque pulvere degere Romanum virum decet; non possunt, quod et ab ingenio et ab artis quasi materia destituti sunt, quum quemadmodum omnis omnium sentiendi cogitandique ratio, ita quicquid et morum et religionis et rerum gestarum inde proficiscitur, artibus, si eloquentiam et historiam exceperis, parum aut nihil materiae praebere possit. Egregius autem de hac ingenii Romani ratione Hegelii locus est hic <sup>1)</sup>: „*Der Geist der Römischen*

<sup>1)</sup> Aesthet. II, p. 116 sq.

*Welt ist die Herrschaft der Abstraction, des todtten Gesetzes, die Zertrümmerung der Schönheit und heileren Sitte, das Zurückdrängen der Familie, als der unmittelbaren, natürlichen Sittlichkeit, überhaupt die Aufopferung der Individualität, welche sich an den Staat hingiebt, und im Gehorsam gegen das abstracte Gesetz ihre kaltblütige Würde und verständige Befriedigung findet. Das Princip dieser politischen Tugend, deren kalte Härte sich nach Aussen alle Völker-Individualität unterwirft, während das formelle Recht im Innern sich in der ähnlichen Schärfe bis zur Vollendung ausbildet, ist der wahren Kunst entgegen. So finden wir denn auch in Rom keine schöne, freie und grosse Kunst. Sculptur und Malerei, epische, lyrische und dramatische Poësie haben die Römer von den Griechen überkommen und sich angelehnt. Es ist merkwürdig, dass, was als einheimisch bei den Römern angesehen werden kann, komische Farcen, die Fescenninen und Atellanen, sind, wogegen die gebildeteren Comödien, selbst des Plautus und ohnehin des Terenz, von den Griechen abgeborgt und eine Sache mehr der Nachahmung als der selbstständigen Production waren. Auch Ennius schöpfte schon aus griechischen Quellen und machte die Mythologie prosaisch. Eigenthümlich ist den Römern nur jede Kunstweise, welche in ihrem Princip prosaisch ist, das Lehrgedicht z. B., besonders wenn es moralischen Inhalt hat und seinen allgemeinen Reflexionen nur von Aussen her den Schmuck des Metrums, der Bilder, Gleichnisse und einer rhetorisch schönen Diction giebt; vor allem aber die Satyre.“*

Neque profecto haec commenta sunt a philosopho, sed vita rebusque Romanorum, imprimis si cum Graecorum rebus comparaveris, probantur luculenter. Apud Graecos primum videmus illud omnium artium tanquam fundamentum ac principium, mythorum, qui dicuntur, omnis generis ingentem ubertatem et florem et cum iis quum omnium artium tum imprimis poësis multas et varias origines atque primordia, Aelinos, Paeanes, Threnos, Hymenaeos, Comos, Hymnos et quascunque

minutatim dulceis didicere querelas,  
tibia quas fundit, digitis pulsata canentum,  
avia per nemora ac sylvas saltusque reperta,  
per loca pastorum deserta atque otia dia.

Ex his quasi rudimentis evadit paullatim carmen epicum, ad tantam denique perfectionem elaboratum, quantam in Homero summopere admiramur. Post ubi singulorum ingenia ad majorem firmitatem suarumque virium quandam conscientiam provecta sunt, lyricorum carminum largam segetem efflorere, denique cum reipublicae nascentibus viribus et incrementis rerumque gestarum magnitudine et laude clarissima dramaticae poësis specimina existere atque simul cum hac arte musicam, saltationem, picturam, plasticam, historiam, philosophiam, rhetoricam, postremo omnem omnium artium orbem nasci, vigere, excoli ac perpoliri videmus. Atque hic non solum magnam illam copiam artium et varietatem, sed magis etiam admiramur, quam istae naturae rationisque legibus convenienter sensim proveniant et adolescant et augeantur et ad perfectionem quandam elaborentur, ut eas cum formosa et vegeta arbore possis comparare, quae ex ingenti radicum medullaeque fecunditate ad incredibilem ramorum frondisque ubertatem propagata admirabilem florum fructuumque copiam fundat.

Sed talequid in Romanis videre minime contingit. Mythorum fere nihil, ac si quid est, plane illud ingenium populi indicans ab arte et pulchritudine alienissimum. Jam vero quaedam



apparent curiose indagantibus, quae in poësis cujusdam popularis testimoniis aut vestigiis poni posse videantur. „Gravissimus auctor in Originibus dixit Cato, morem apud majores hunc epularum fuisse, ut deinceps, qui accubarent, canerent ad tibiam clarorum virorum laudes atque virtutes<sup>1)</sup>.“ Adde quod Cicero in more esse dicit<sup>2)</sup>: „Honoratorum virorum laudes in concione memorentur, easque etiam cantus ad tibicinem prosequatur; cui nomen neniae: quo vocabulo etiam Graecis cantus lugubres nominantur.“ Adde porro, quod Festus dicit<sup>3)</sup>: „Axamenta dicebantur carmina Saliaria, quae a Saliis sacerdotibus cantabantur in universos homines (?) composita. Nam in deos singulos versus ficti a nominibus eorum appellabantur, ut Janualii, Junonii, Minervii.“ Accedant denique mimi versusque Fescennini<sup>4)</sup>, quorum rationem ex Horatii loco (Epist. II, 1, 145 sqq.) suspicari possumus:

Fescennina per hunc inventa licentia morem  
versibus alternis opprobria rustica fudit;  
libertasque recurrentes accepta per annos  
lusit amabiliter; donec jam saevus, apertam  
in rabiem coepit verti jocus, et per honestas  
ire domos impune minax; —

Atque haec fere sunt omnia, quae poesis aliquam speciem videantur gerere, usque ad illum, qui suo jure scripsit<sup>5)</sup>:

— — scripsere alii rem  
versibu' quos olim Fauni vatesque canebant:  
quom neque Musarum scopulos quisquam superarat,  
nec dicti studiosus erat.

ut, si in Romanis artem poëticam quaerere posse nobis videremur, haud injuria profecto demirareremur, per saecula paene sex in tanta magnorum virorum rerumque gestarum abundantia tam rara hujus artis vestigia apparere. Ac carminum illorum convivalium naeniarumque, quibus clarorum virorum laudes celebrabantur, quum plane nihil neque ad nostram neque ad Ciceronis aetatem pervenisse putaretur, specimina deprehendisse sibi visus est Niebuhrius<sup>6)</sup> in inscriptionibus iis, quae in Scipionum sepulcro leguntur, quas inscriptiones si forte quem tironum cognovisse juverit, tres gravissimas appono:

- 1) Cornelius. Lucius. Scipio. Barbatus. Gnaivod. Patre.  
Prognatus. Fortis. Vir. Sapiensque. Quoius. Forma. Virtutel. Parisuma.

1) Cic. Tusc. Disp. IV, 2. Cf. Varron. de vita pop. Rom. lib. II ap. Nonium p. 76: In conviviis pueri modesti ut cantarent carmina antiqua, in quibus laudes erant majorum, et assa voce et cum tibicine.  
2) Cic. de leg. II, 24. Cf. Varron. d. v. p. R. ap. Non. s. v. naenia: ibi a muliere, quae optima voce esset, perquam laudari, dein naeniam cantari solitam.  
3) p. 3. cf. Adam. Röm. Alterth. I, p. 432 sq. Addi possunt carmina fratrum arvalium, quorum nobis specimen servatum est, vid. Freund. lex lat. IV. Addend.  
4) Quamquam et hi non Romanae, sed Etruscae erant originis. V. O. Müller Etrusc. IV, 5, 2 p. 284 sq.  
5) cf. Lucret. I, 119: Ennius — — qui primus amoeno Detulit ex Helicone perenni frunde coronam, Per genteis Italas hominum quae clara clueret.  
6) Hist. Rom. I, p. 283 sqq.

Fuit. Consol. Censor. Aidilis. Quei. Fuit. Apud. Vos. Taurasia. Cisauna.  
Sannio. Cepit. Subigit. Omne. Loucana. Opsidesque. Abdoucit.

2) Hone. Oino. Ploirume. Cosentiont. R...

Duonoro. Optumo. Fuise. Viro.  
Luciom. Scipione. Filios. Barbatí.  
Consol. Censor. Aidilis. Hic. Fuet.. A..  
Hec. Cepit. Corsica. Aleriaque. Urbe.  
Dedet. Tempestatibus. Aide. Merito.

3) Quei. Apicem. Insigne. Dialis. Flaminis. Gessistei.

Mors. Perfecit. (T) ua. Ut. Essent. Omnia.  
Breuia. Honos. Fama. Virtusque. Gloria. Atque. Ingenium. Quibus. Sei.  
In. Longa. Licuisset. Tibe. Utier. Vita.  
Facile. Superases. Gloriam.

Majorum. Quare. Lubens. Te. in. Gremiu. Scipio. Recipit. Terra. Publi.

Quid? quod idem Niebuhrius <sup>1)</sup> in Livianis illis, quae „horrendi carminis“ dicuntur <sup>2)</sup> antiquis-  
simae poësis fragmentum reperisse sibi visus est:

Duúmviri pérduellíonem júdicent.  
Si a duúmviris provocárit,  
Provocátíone certáto:  
Si víncent, caput óbnúbíto:  
Infélici árbore réste suspéndíto:  
Vérberato íntra vel éxtra pómoérium.

At in his antiquissimae poësis, quam dicit, monumentis, si horriduli numeri quoddam genus  
exquirere velit, exquirat, sed poësin quaerens vereor ne frustra laboret. Et ne quis majorem  
spem de fratrum arvalium carmine habeat, etiam hujus particulam adjicio:

Item. III. Kal. Junius.

In. Luco. Deae. Diae. Alfenius. Avitianus. Promagister. Ad. Aram. Immolavit.

Porcilias. Piaculares. II. Lucí. Coinquendi. Et. Operis

Faciundi. Ibi. Vaccam. Honorariam. Immolavit. Et. Inde. In. Tetrastylo. Reversus.

Subsellis. Consedit. Deinde. Reversus. Ad. Aram.

Extas. Reddidit. Porciliares. Item. In. Circo., In. Foculo. Argenteo. Cespiti.

Ornato. Extam. Vaccinam. Reddidit. etc. etc.

totum autem carmen ejusdem argumenti est. Jam vero quaero, quomodo quisquam quamvis  
magna Romani ingenii admiratione affectus in his verbis, quamquam versuum vel carminum  
nomine feruntur atque numero quodam distincta sunt, aliquam poëticam indolem possit agnoscere.  
Nonne eodem jure ex Saliorum tripudiis saltandi artem, e tibiatarum maturo usu musicam floruisse  
apud Romanos colligeremus? <sup>3)</sup>

1) I. L. p. 288. 2) I, 26.

3) Nep. Epam. 1: Scimus musicen nostris moribus abesse a principis persona; saltare vero etiam in vitiis  
poni. cf. Prooem. et Cic. p. Muren. 6, 13: Nemo fere saltat sobrius, nisi forte insanit, neque in soli-  
tudine, neque in convivio moderato atque honesto.



Quod autem his quasi primordiis probatur, Romanos a poësi fuisse alienissimos, id etiam iis coarguitur, quae postea orta artis quandam speciem praebere videbantur. Constat enim Romanos tirocinium quoddam posuisse in re scenica, sed et ortum rei et progressum si consideramus, facile apparet, ne ad hoc quidem genus gentem rerum gerendarum cupidissimam naturae poëticae quodam instinctu esse latam neque ex hoc veram delectationem potuisse capere, ita, ut quod Quintilianus <sup>1)</sup> dicit: „in comoedia maxime claudicamus“, ad universam profecto rem scenicam pertineat. Narrat nobis Livius <sup>2)</sup>, a. U. C. 391 pestilentiam Romae fuisse; „et quum vis morbi“, inquit, „nec humanis consiliis nec ope divina levaretur, victis superstitione animis, ludi quoque scenici, nova res bellicoso populo, (nam circi modo spectaculum fuerat) inter alia coelestis irae placamina instituti dicuntur. Ceterum parva quoque et ea ipsa peregrina res fuit.“ Narrat deinde, juventutem Romanam ludiones ex Etruria accitos imitatam esse, simul inconditis inter se jocularia fundentem versibus; postquam autem haec excoli coepta sint atque ab risu ac soluto joco re avocata ludus in artem paullatim verterit, juventutem histrionibus fabellarum actu relicto, ipsam inter se more antiquo ridicula intexta versibus jactitare coepisse; quae inde exodia postea appellata consertaque fabellis potissimum Atellanis esse. Quod genus ludorum ab Oscis acceptum tenuisse juventutem nec ab histrionibus pollui passam esse. Quid igitur? Manifestum est, rem scenicam Romanos non desiderio rei, sed superstitione motos accepisse, non ex se genuisse, sed a peregrinis accivisse, et quum artis quandam formam indueret, ipsos ad priscae jocationes Fescennini generis tanquam sibi proprias redisse, artem histrionibus, parum honorifice habito generi, permisisse. Materia autem illarum et tragoediarum et comoediarum tantum non omnis e Graecis sumta, ut doctioribus inter Romanos forsitan voluptatis quoddam genus efficere, plebem autem tenere nullo modo possent. Ejus rei causa, si quaeris, in promptu est: tum enim iis, qui fabulas docere conabantur, tantum sollertiae erat, ut graecas vel transferrent, vel refingerent, vel contaminarent, non tantum, ut novas effingerent <sup>3)</sup>, tum vita Romanorum nec publica neque privata, neque mores, neque instituta, neque res gestae quidquam praebant, quod vel ad comicae hilaritatis, vel ad tragicae severitatis pulchritudinem fingi posset atque elaborari; joci enim genus Romanis adamatum tale, quod si a soluta jactatione atque licentia avocatum ad artis leges astrictum esset, dissolveretur, virtus Romana autem ita comparata erat, ut quamvis sublime quiddam ac magnificum haberet, tamen quum humanae naturae rationem haberi nollet atque hominem non ad pulchritudinem emendare ac fingere, sed immolare ejusque sanguine potius, quam forma frui ac delectari vellet, neque ulli arti neque tragicae proposita argumentoque esse posset <sup>4)</sup>. Quare ludi gladiatorii, in quibus suae ipsorum virtutis imaginem quandam contuerentur, vere Romani Romanis verae delectationi erant <sup>5)</sup>; in re scenica si quid speciosum erat, quod in oculos incurreret sensusque quasi feriret, vel si quid jejunam quandam sensus communis prudentiam <sup>6)</sup> redoleret, id delectabat, cetera jacebant.

1) X, 1, 99. 2) VII, 2.

3) Exceptis paucis Pacuvii et Attii experimentis. Vid. Bernhardy l. l. p. 171.

4) cf. Hegel. Aesth. I, p. 238.

5) Nullum tempus est frequentioris populi, quam illud gladiatorium; neque concionis ullius neque vero ullorum comitiorum. Cic. p. Sext. 59, 125.

6) Vid. Bernhardy l. l. p. 173.

Sic ne ea quidem, quae artis poëticae quandam speciem habere videantur, Romanis ullam poetici ingenii laudem tribuere posse mihi certum est. Romani, quamdiu integra et incorrupta staret Romana ratio et res, viri erant strenui ac fortes, neque tamen poëtae, neque poësis amatores, neque idonei, qui quorumque facta a poëtis canerentur, durum hominum genus, sed optime animatum, cujus verba potius caepe et allium olerent, quam suaviloquentiam, quodque laboris patientissimum tempore tam parce uteretur, ut non minus otii quam negotii rationem severam extare vellent. Nunquam tales viros Solo Salaminiam declamitans ad bellum gerendum permovisset, nunquam intestina discordia laborantes Tyrtaeus Eunomia illa composuisset; Catonis illud tenacissimum „ceterum censeo“ alterum potuit, item Menenii Agrippae fabella ad sensum communem facta alterum, poëtica arte talequid in tam duris, tam sobriis, tam gravibus viris neque tentatum est, neque potuit tentari. Poësi neque domi, neque in foro, neque in campo, neque in ludis, neque in templis, neque in castris, neque ruri neque denique in pectoribus ac studiis locus erat relictus. Poëtici si quid emergit, id in forma quadam ac numero, in ordine quodam ac modo positum est externo, ingenium ac spritus deest. Quae quum ita sint, quaerendum esse videtur, quomodo factum sit, ut sexto demum urbis saeculo tot poëtae scriptoresque existerent, velut Livius Andronicus, Naevius, Ennius, Fabius Pictor, Cincius Alimentus, Calpurnius Piso, Cato, Plautus, Pacuvius, Attius, Terentius, alii, de quorum arte neque dicam quicquam, neque multum dicendum esse puto, sed qui, si revera Romanorum ingenium ab ejusmodi studiis abhorrebat, mirum videtur, cur animum operamque ad literas artesque contulerint. Id aliquo modo ad liquidum perducitur, ubi universum rerum Romanarum illius temporis statum contemplamur, quas tum jam magis magisque a perenni illa contestataque antiquitatis virtute degenerare depravarique incipere atque paullatim ad occasum pristini roboris ac vigoris vergere neminem praeterire poterit. Hanc Romanorum labem leviter mihi judicare videntur qui ita interpretantur, ut ex immensis divitiis Romam confluentibus luxuriaque omnis generis inde manante ortam esse statuunt. Quid? Num antea Romani ignoraverant pecuniam? Nonne etiam Curio Dentato Samnites magnum auri pondus attulisse dicuntur? Quid erat, quod ille sprexit, quod posteri sitirent atque inhiarent? Causa potius in eo sita erat, quod propius jam propiusque illud tempus imminebat, quo populus Romanus id, quod jam inde a principiis suis summo labore et studio persecutus erat, adeptus eumque libertatis et potentiae sive eum humanitatis quasi gradum assecutus erat, quem illius aetatis homines et vellent assequi et possent, et quo tanquam pensum suum quoddam historicum absolverat. Postquam tanta fuerat ejus virtus et constantia, ut omnibus parem in republica juris libertatisque conditionem, quatenus id per leges fieri posset, expugnaret, et tanta, ut ceteris terrae gentibus aut imperaret aut terrorem nominis sui injiceret, non tanta erat, ut singuli quique sibi ipsi leges imponerent ac libidinibus suis imperarent, non tanta, ut non, quod per leges nacti erant, per suam pravitatem amitterent, non tanta denique, ut non, quos fortitudine sua vel subegerant vel terruerant, ab iis per vilitatem et avaritiam morumque corruptelam suam turpiter tererentur aut caederentur. Quamdiu nitebantur Romani, gnavi ac fortes erant, verum quum consecuti essent id, ad quod niterentur, subsistebant; paullatim relaxari coepta sunt vincula reipublicae, quibus antea constricti omnes tenerentur, privatae voluntates tanquam sibi emancipabantur, atque, sicuti cujusque ferret libido, alio aliae trahebantur. In hac privatarum voluntatum licentia ubi singuli quique non amplius ita republica ejusque rationibus tanquam explentur, ut sentire et



gerere et loqui nihil praeterea possint, circumspiciunt usquequaque, numquid aliunde accessere queant, quod agant quoque delectentur. Sic otia in mentes vitamque Romanorum irrepunt, sic non deos solum ex peregrinis gentibus, sed artes quoque et literas asciscunt, primum velut quoddam luxus genus, tum delectationem ex iis, denique solatium quoddam capientes. Eo enim postremo ventum est, ut multi quam domi desperarent, pacem ac tranquillitatem in literis artibusque quasi peregrinantes consequi se posse arbitrarentur. Quo minus Romani antiqua reipublicae morumque disciplina continentur, eo magis, qui liberalioris sunt ingenii, ad humanarum artium studia se conferunt, quoque magis humanitatis studiis operam dant, eo minus Romani sunt. Alia enim Romanae virtutis est natura absque liberalium artium studiis plane abhorrens.

Quem autem hic rerum Romanarum statum paucis adumbravi, ejus vestigia quaedam jam saeculo urbis sexto apparere videmus. Hinc fit, ut non solum multi existant, qui animos ad scribendum liberaliorisque doctrinae opera appellant, sed etiam inter principes civitatis inveniantur, qui, si non ipsi literarum studiis vacent, artibus earumque cultoribus admodum faveant. Sic Titum Livium tragoediarum scriptorem Eusebius prodit clarum habitum esse, qui ob ingenii meritum a Livio Salinatore, cujus liberos erudiret, libertate donatus sit; sic Ennium <sup>1)</sup> apud Scipionem Africanum superiorem, eundem apud M. Fulvium Nobiliorem <sup>2)</sup>, sic Attium apud Decimum Brutum <sup>3)</sup>, Panaetium et Polybium apud Scipionem minorem et apud eundem et Laelium Terentium in honore et in pretio fuisse audimus; sic Scipionem majorem Graecorum artibus delectatum esse, Carneadem magna multos admiratione affectisse, Stoicorum et Epicuraeorum disciplinas magis magisque propagatas esse inter Romanos accipimus.

Quum autem Romanis minime sensus quidam deesset, qui in his humanitatis studiis labem quandam antiquae virtutis haberi praesagiret, factum est, ut veteris disciplinae vindices caussam cum effectu confundentes quum omne liberalioris doctrinae genus, tum eos, qui delectari ea viderentur, tanquam morum disciplinaeque corruptores acerrime perstringerent ac notarent. Quare quum quondam Locensium quaedam caussa in comitio coram consulibus ageretur magnaue hominum et pro Scipione Africano majore et adversus Scipionem studia accensa essent, praeter alia etiam imperatoris non Romanus modo, sed ne militaris quidem cultus jactabatur: cum pallio crepidisque inambulare in Gymnasio, libellis eum palestraue operam dare: aequae segniter molli-terque cohortem totam Syracusarum amoenitate frui etc. <sup>4)</sup>. M. Cato autem idem, qui ut probrum objecit M. Nobiliori, quod is in provinciam poetas duxisset <sup>5)</sup>, in oratione, quam pro lege Oppia habebat, graviter conqueritur: „Infesta, mihi credite, signa ab Syracusis illata sunt huic urbi. Jam nimis multos audio Corinthi et Athenarum ornamenta laudantes mirantesque, et antefixa fictilia deorum Romanorum ridentes <sup>6)</sup>.“ Idem philosophos illos, quos legatos miserant Athenienses, quamprimum dimittendos esse censuit. Huc pertinet etiam memorabile illud senatusconsultum de exigendis urbe philosophis et rhetoribus, quod apud Gellium legimus <sup>7)</sup>: M. Pomponius Praetor. Senatum. consuluit. quod. verba. facta. sunt. de. philosophis. et. de. rhetoribus. de. ea. re. ita. censuerunt. uti. M. Pomponius. Praetor. animadverteret. coeraret. q. uti. ei. e. republica.

<sup>1)</sup> Cic. p. Arch. 8, 22.

<sup>2)</sup> p. Arch. 11, 27.

<sup>3)</sup> Val. Max. VIII, 14, 2.

<sup>4)</sup> Liv. XXIX, 19.

<sup>5)</sup> Cic. Tusc. disp. I, 2, 3.

<sup>6)</sup> ap. Liv. XXXIV, 4.

<sup>7)</sup> N. A. XV, 11.

fide. quae sua videretur. uti. Romae. ne. essent. atque quod aliquot deinde annis post id senatus consultum Cn. Domitius Aenobarbus et L. Licinius Crassus Censores de coercendis rhetoribus Latinis edictum promulgarunt, quod item a Gellio memoriae est proditum: Renuntiatum. est. nobis. esse. homines. qui. novum. genus. disciplinae. instituerunt. ad. quos. juvenus. in. ludum. conveniat. eos. sibi. nomen. imposuisse. Latinos. rhetoras. ibi. homines. adolescentulos. dies. totos. desiderare. majores. nostri. quae. liberos. suos. discere. et. quos. in. ludos. itare. vellent. instituerunt. haec. nova. quae. praeter. consuetudinem. ac. morem. majorum. fiunt. neque. placent. neque. recta. videntur. quapropter. et. his. qui. eos. ludos. habent. et. his. qui. eo. venire. consuerunt. visum. est. faciendum. ut. ostenderemus. nostram. sententiam. nobis. non. placere.

Ut Lacedaemonii olim suos a peregrinorum contactu prohibere studebant *φοβούμενοι μή σφισιν οἱ ἐξιόντες χείρονος γίγνωνται*<sup>1)</sup>, ita Romani peregrinarum artium illecebras cultumque aspernantes sollicitè rejiciebant, ne quid inde damni disciplinae virtutisque existeret, in eo utriusque falsi, quod virtus, quae integra in peregrinis stare nequit, virtus esse jam desiit, et quod ne summa quidem vigilantia hostis a finibus potest propulsari, qui jam in venis medullisque delitescit. Ea est enim brevis et fluxa antiquorum populorum natura, ut floreat et crescant in ipsorum perniciem, ut florem et reprimere et promovere pariter laudi ac reprehensioni, utrumque autem fatale sit<sup>2)</sup>.

Atque negari non potest, etiam ad res Romanas, etsi in fundamentis prorsus aliis positae ex rebus longe diversis nutrimenta ceperant longeque diversa norma metiendae sunt, e bonarum artium studiis splendoris aliquid redundasse et si formam spectas, perfectionem quandam accessisse. Etenim cujus rei sexto urbis saeculo vestigia tantum nonnulla exstant, eam increbescere sequentibus temporibus augerique videmus ita, ut bonarum artium studia a multis paulatim colantur et tractentur, quo et literarum latinarum quidam orbis efficitur, et sermoni dicentium scribentiumque elegantia quaedam conciliatur tam auribus jucunda, quam pristinae sermonis rationi aliena. Atque hunc splendorem ex artium literarumque studiis profectum esse dico. At hoc semper tenendum est, primum haec studia non ante recepta esse, quam Romanorum ingenium inclinari, robur ac firmitas labi, respublica concidere coeperit, ubi singuli quique jam alii alio discedere coeperunt, neque summa reipublicae tantum valuit, ut privati coercerentur; deinde ea non e propria quadam Romani ingenii vitaeque ratione ducta, sed aliunde arcessita minus ad humanitatem, quam ad doctrinam quandam pertinuisse; denique ea ita non commune quiddam totius populi fuisse, ut vulgo contemnerentur iique, qui in illis versarentur, vere Romani neque essent neque haberentur. Ciceronem literarum Graecarum studia, quum e Graecia et Asia reversus esset, suspectum reddidisse narrat Plutarchus<sup>3)</sup>: „καὶ ταῖς ἀρχαῖς δεινῶς προσήει καὶ παρημελεῖτο ταῦτα δὴ τὰ Ῥωμαίων τοῖς βαναυσωτάτοις πρόχειρα καὶ συνήδη ῥήματα, Γραικῶς καὶ σχολαστικῶς, ἀνοίων. Et ipse vide quoties quamque diligenter sese de literarum

1) Thuc. I, 95.

2) Nihil, quod in temporis alicujus indole positum est ex eaque consequitur, reprimi neque vi neque arte potest, iidemque, qui id alia ratione opprimere student, alia juvant. Idem Cato ille, qui peregrinarum artium tam acerbus esset hostis, jam senex linguam Graecam didicisse fertur coque et variis scriptis otii literati Romanis auctor extitit haud sane contemnendus.

3) Vit. Cic. 5.



imprimisque philosophicarum studiis excusare studeat, quae quum legeris, apparebit, qualis ratio Romano homini cum artibus literisque potuerit intercedere. „Interdum vereor“, inquit <sup>1)</sup>, „ne quibusdam bonis viris philosophiae nomen sit invisum mirenturque in ea tantum me operae et temporis ponere. Ego autem quamdiu respublica per eos gerebatur, quibus se ipsa commiserat, omnes meas curas cogitationesque in eam conferebam. Cum autem dominatu unius omnia tenerentur, neque esset usquam consilio aut auctoritati locus, socios denique tuendae reipublicae, summos viros, amissem: nec me angoribus dedidi, quibus esse confectus, nisi iis restitsem, nec rursus indignis homine docto voluptatibus. Atque utinam respublica stetisset, quo coeperat statu, nec in homines non tam commutandarum, quam evertendarum rerum cupidos, incidisset. Primum enim, ut stante republica facere solebamus, in agendo plus, quam in scribendo, operae poneremus: deinde ipsis scriptis non ea, quae nunc, sed actiones nostras mandarem, ut saepe fecimus. Cum autem respublica, in qua omnis mea cura, cogitatio, opera poni solebat, nulla esset omnino, illae scilicet literae conticuerunt, forenses et senatoriae. Nihil autem agere eum animus non posset, in his studiis ab initio versatus aetatis, existimavi, honestissime molestias posse deponi, si me ad philosophiam retulissem.“ Quibus verbis eum ipsum patet, quem omnium Romanorum studiosissime in artibus literisque colendis et tractandis versatum esse scimus, qui et ipse summam ex iis delectationem capere sibi videbatur, quique philosophiam vitae ducem, virtutis indagatricem expultricemque vitiorum appellat, sine qua nihil homines, nihilque omnino vitam hominum esse putet <sup>2)</sup>, ingenue fateri, in talibus se studiis non versari nisi quod respublica jam nulla sit, nihil autem agere animus non possit. Et recte quidem; stante enim republica quomodo homo Romanus artibus et literis operam dare animum induxerit? Et sunt quidem tempora, ubi Cicero vel oratorio impetu abreptus <sup>3)</sup> artes tanquam praeclarissimas res celebret, quibus nihil dignius, quo liberi homines occupati sint, vel publicarum domesticarumque rerum statu afflictus in his verissimum sibi solatium ac quasi quoddam refugium reperisse videatur. Sed illud profecto magis rhetorice, quam Romane; hoc autem tamdiu, quamdiu nihil haberet, quod ageret melius; sed ne tum quidem ei philosophia veram quandam tranquillitatem parasse putanda est. Id quomodo potuisset, quum Romano quum omnia literarum artiumque studia, tum philosophia quasi quoddam crepundiorum genus potius aut ad summum quoddam graviorum rerum instrumentum, quam res per se expetenda videretur, Cicero autem quamvis doctis studiis deditus, quamvis miserum reipublicae Romanae statum fastidiens tamen esset Romanus. <sup>4)</sup>?

1) d. off. II. init. Princeps eorum, qui eam in invidiam adduxerunt, fuit Cato, quemadmodum Plutarchus in eius vita narrat. Vid. et Gellium N. A. XV, 11 et Cic. Tusc. disp. II. init.

2) Cic. Tusc. disp. V, 2.

3) V. orat. p. Archia.

4) Quum nostrorum hominum tam multi sint, qui a coetu hominum frequentiaque in solitudinem recepti in summo otio et umbra degant atque in literis librisque quasi heluantes reipublicae parum curiosi sint, factum est, ut nimis creduli essent, ubi Cicronem de literarum studiis omnem animi perturbationem tollentibus disserentem legerent, quem tamen mirum quantum erraverit qui ejusmodi studiis a republica ejusque cura abstractum esse putet. Quod quum omni ejus vita probatur, tum clarissime apparet epistolas ejus ad Atticum legenti, in quibus ingenii ejus imaginem habemus ad summam veritatem pictam. Legamus, ut his utar, epist. ad Att. lib. II, ep. IV — XVII, quae scriptae sunt, post-

Jam si paucis complector, quae modo exposui, haec sunt. Romani postquam, quamdiu integrae starent et mentes et respublica, neque ipsi in artibus elaboraverunt, neque artes in aliquo numero et honore esse voluerunt, neque habuerunt sane in rebus gestis ac moribus institutisque, in omni denique vivendi sentiendique genere, quod rectam artibus materiam praebere potuisset, tum demum, quum et reipublicae robur ac firmitas, et ingeniorum virtus paulatim pessumdabatur et quasi corruebat, factum est, ut quo magis sibi quique animi et voluntates emanciparentur neque amplius communitatis rationibus rei publicae tanquam vinculis coercerentur, eo magis singuli ad artes vel tractandas vel honorandas deferrentur tum velut ad luxus quoddam genus, tum, ut sibi videbantur, delectatione quadam ducti. Neque tamen artes propter se expetisse et coluisse putandi sunt; aut pro instrumentis tantum honoris et gloriae habebant, aut refugium quoddam sibi esse statuebant, in quo quum a republica vel sponte recederent, vel inviti removerentur, otium perferre cum dignitate quadam possent; quamquam viris administrandi, gubernandi agendique cupidissimis artibus tractandis numquam satisfieri neque vera tranquillitas animi poterat parari. Quum autem non nati essent, sed dura quadam necessitate adacti ad artes, florere apud eos ars artisque verae genera excoli non potuerunt. Musica, pictura, saltatio, plastica, architectura jacent, item poësis, nisi forte quis didactica, quae dicuntur, et satirica carmina in verae poësis generibus recensere vult. Hoc tamen literarum Graecarum studio et usu effectum est, ut sermo latinus, etsi scrupulos meos quosdam hac in re supra significavi, et dicendi scribendique facultas mirum quantum excoleretur atque formae quoddam studium existeret ad artis rationem prope accedens. Praeter

---

quam Caesar societatem cum Pompejo et Crasso iniit. Cicero in Tusculanum suum se receperat. Reipublicae causam pro deplorata habet, interea „cum Musis se delectare vult animo aequo, immo vero etiam gaudenti ac libenti“, „statuit enim nihil jam de republica cogitare“, „vide“, inquit, „securitatem meam. Sed quid ego haec, quae cupio deponere et toto animo atque omni cura φιλοσοφῆιν? Sic, inquam, in animo est. Vellem ab initio. Nunc vero, quoniam, quae putavi esse praeclara, expertus sum, quam essent inania, cum omnibus Musis rationem habere cogito“. „Neque aliud jam quidquam πολιτεύομαι nisi odisse improbos, et id ipsam nullo cum stomacho, sed potius cum aliqua scribendi voluptate“. „Quare incumbamus ad illa praeclara studia et eo, unde discedere non oportuit, aliquando revertamur“. „Neque tam me ἐλεησιτία consolatur, ut antea, quam ἀδιαφορία, qua nulla in re tam utor, quam in hac civili et publica. Quin etiam, quod est subinane in nobis et non ἀφιλόδοξον, id afficitur quadam delectatione“. „Credas mihi velim; neminem adhuc offendi, qui haec tam lente, quam ego fero, ferret. Quare, mihi crede, φιλοσοφῶμεν“. „Jam pridem gubernare me taedebat, etiam cum licebat“. — Sed vide bonus vir quam parum se ipse cognitum habeat. Idem qui omni reipublicae cura abjecta totum in Musis, qui philosophia adjutrice extra omnes se vitae publicae turbas esse et affirmat et arbitratur, est revera perturbatissimus curisque publicis commotissimus. Multa scribere aggrediens modo geographicum opus, modo historicum, modo anecdota molitur, nihil tamen procedit. Nusquam quasi stabilem sedem capere potest, nunc in Tusculano, nunc in Formiano, nunc Antii, nunc Arpini versatur; reipublicae taedet, sed tamen, si quid novi, audire maxime gestit, „da ponderosam aliquam epistolam“, scribit „plenam omnium non modo actorum, sed etiam opinionum tuarum“. „De istis rebus exspecto tuas literas: quid Arrius narret; quo animo se destitutum ferat; equi consules parentur; utrum, ut populi sermo, Pompejus et Crassus; an, ut mihi scribitur, cum Gabinio Servius Sulpicius: et num quae novae leges; et num quid novi omnino: et quoniam Nepos proficiscitur, cuinam auguratus deferatur“. „Fac, venias ad sitientes aures“. Ecce vir Graecae ac philosophe loquens, at Romane sentiens.



varia autem sermonis latini incrementa maximus ex literarum studiis cumulus accessit iis, quas in severiorum artium orbem et numerum includere nullo modo possumus, historiam dico et rhetoricam, quae et ipsae quodammodo nisi in ruina Romani ingenii ac reipublicae radices agere et florem quandam adipisci non poterant. Nam etsi semper magna Romanorum fuerat laudis gloriaeque propagandae ad posterorum memoriam cupido, tamen quamdiu in agendo et nitendo ipsi occupati essent omnes, scribendi quum alias res, tum res gestas et tempus deerat et animus. Quum autem literatorum otiorum tempus et licentia venisset, etiam scribere res, si minus gerere licebat, minime absurdum videbatur, quamquam in hoc quoque non res ipsa neque veritatis studium, sed gloria populi Romani summus erat finis. Sed hoc rerum scribendarum studium patet auctum esse et profecisse literarum graecarum usu et tractatione. Idem contigit rhetoricae, cujus quantus usus fuerit eo tempore, quo universa et omnibus communia dilabi coeperunt et singuli privata studia ac libidines sectantes in privatarum discordiarum litiumque et ambitionis obtrectationisque turbas conjiciebantur atque orationis facultatem et artificia desiderabant, colligi potest ex Lucilianis illis:

Nunc vero a mane ad noctem, festo atque profesto,  
Totus item pariterque dies populusque patresque  
Jactare indu foro se omnes, decedere nusquam,  
Uni se atque eidem studio omnes dedere et arti,  
Verba dare ut caute possint, pugnare dolose,  
Blanditia certare, bonum simulare virum se,  
Insidias facere, ut si hostes sint omnibus omnes.

Sed si oratoriam laudem istis temporibus multum valuisse dico, et si orationis facultatem literarum studiis ad magnam perfectionem provectam esse concedo, hoc tamen dubito, hanc politiorum ornatoremque orationis rationem ad totum populum tam omnis eruditionis expertem, tam pulchri sensu carentem, tam aliis rebus gaudentem pertinuisse tantaque ei delectationi fuisse, quemadmodum sibi persuadebat Cicero, quum scriberet<sup>1)</sup>: „Quid dico meas? conciones saepe exclamare vidi, quum apte verba cecidissent. Id enim expectant aures, ut verbis colligantur sententiae.“ etc. Vereor ne vir patriae studiosissimus Atticorum aures teretes per errorem quandam ad impolitam et plane rudem plebem Romanam transtulerit. Artis si quid est apud Romanos, id studio et doctrina paritur et quantulumcunque est, in paucis tantum elucet; abhorret enim ab arte ingenium Romanum<sup>2)</sup>. Quare vere Romane cecinisse mihi videtur Virgilius<sup>3)</sup>:

Excudent alii spirantia mollius aera,  
Credo equidem, vivos ducent de marmore vultus;  
Orabunt caussas melius coelique meatus  
Describent radio et surgentia sidera dicent:

1) Cic. Orat. 50.

2) *Rom ist nicht die Welt der Religion, der Kunst und Wissenschaft: Was von diesen Sphären sich vorfindet, ist nur ein Fremdes und Herübergenommenes, darum aber auch als dieses Entlehnte Behandeltes. Die Liebe zur griechischen Kunst und Wissenschaft ist selbst schon das Aussersichsein und der Verfall Roms. Der Hass und die Verweisung der Kunst und Wissenschaft ist dagegen die Zeit der höchsten Blüthe der Römischen Welt.* Ed. Gans. Jus. hered. II, 22. cf. Hegel. philos. hist. p. 322.

3) Virg. Aen. VI, 848 sqq.

Tu regere imperio populos, Romane, memento,  
Hae tibi erunt artes, pacisque imponere morem,  
Parcere subjectis et debellare superbos.

Vellem poësin addidisset iis rebus, quas aliis potius quam Romanis tribueret. Etiam Horatius quam quasi laxa Romanis cum artibus literisque ratio intercederet recte sensisse videtur dicens<sup>1)</sup>:

Graecia capta ferum victorem cepit et artes  
Intulit agresti Latio: sic horridus ille  
Defluxit numerus Saturnius et grave virus  
Munditiae pepulere: sed in longum tamen aevum  
Manserunt hodieque manent vestigia ruris.  
Serus enim Graecis admovit acumina chartis,  
Et post Punica bella quietus quaerere coepit,  
Quid Sophocles et Thespis et Aeschylus utile ferrent.

Sed satis hac de re dixisse videor; haud scio an nimis multa. Etenim omnia facile, quae exposui, multis nota, pleraque concessa esse arbitror. Sed cur tam multus fui in re, ut videtur, minime obscura? Hic duas causas habeo, quibus respondeam. Primum enim quum hoc loco non docte et subtiliter disputare vellem, hoc mihi sumsi, ut etiam de rebus loquerer minime ignotis, etiam sic fore sperans ut nonnullis prodessem, quum etiam quomodo quid dicatur quibusque quid rationibus probetur, permagni intersit. Deinde si satis nota sunt, de quibus exposui, et aut omnibus aut multis probata, pergratum id mihi erit, nam habebō, quod quaeram, cur nihilominus tot viri docti cum maxima admirationis abundantia toti in Romanae artis operibus collocati sint, cur horum poetarum subtilem pulcri sensum, cur sublimitatem afflatumque divinum, cur carminum coelesti mentis instinctu fusorum elegantiam ac dulcedinem celebrent, cur Romanorum libros poëticos in praestantissima antiquitatis referant exemplaria, ad quorum normam exigendum sit quicquid poësis nomine feratur. Nonne si concedimus Romanorum ingenium ita instructum et temperatum fuisse, ut arti atque poësi indulgere neque vellet, neque posset, non minus certum est, nisi caute ac suspiciose non habendum esse, si quid poëtica inter Romanos emergat, ne forte formae quadam elegantia, singularum imaginum vi et suavitate, ac quadam florum luminumque copia et splendore adducti continuo nobis poësin videre videamur? Nonne si quod carmen epicum, si lyrica poësis existit, ante omnia quaerendum videtur, talequid num in tam inculto et derelicto solo exortum in vera poësi possit haberi?

Verum enimvero nisi in hac universi ingenii Romani censura et contemplatione tamquam in generali quodam fundamento collocata factitari recte ars critica de Horatii lyra non poterit. Laudemus viros doctos, quod de personis quaesiverint, quod de Horatii vita, amoribus, ingenioque ac moribus diligenter disputaverint, postremo quod singula quaeque, quae ad ejus carmina recte intelligenda pertinere existimarent, studiosissime examinauerint, sed reprehendamus iidem, philosophiam et historiam in his disquisitionibus et interpretationibus tam incuriose plerumque haberi, ut parum iis profecisse videamur. Nimum quantum profecto increbuit opinio multorum, qui quamquam quid poësis natura desideret quidque et populi alicujus et aetatis alicujus ingenium

1) Hor. Epist. II, 1, 156 sqq.



et indoles ferat ac postulet, tantum non omnino ignorantes quadam sermonis, grammaticae elegantiarumque scientia freti poëtas penitus perspicere recteque et interpretari et judicare posse sibi videantur. Romanis scriptoribus inde imprimisque Horatio accedit, ut ei non modo temere et inconsiderate Graecorum virtutes et laudes quamvis a Romani ingenii ratione alienae tribuerentur, sed ut etiam ex nostrae aetatis maturitate sentiendique ratione plurima invita Minerva inveherentur, quibus, etsi ut ab omni antiquitate, ita ab Romanorum moribus abhorrebant, munificentia doctorum interpretum et judicum paupertati poëtae consulere atque auxiliari studeret. Hinc etiam symbolicam istam interpretandi rationem exortam esse mihi persuadetur, in qua adhibenda multi interpretes parum caute versantur, Henricus Düntzerus autem vere bacchatur, qua simplicibus poëtae verbis saepenumero illis quidem admodum levibus miras res, quas obscure ipse vel obscurissime attingere et significare voluerit, subjicientes tum luxuriantis sui ingenii acumen et sagacitatem ostentare, tum optime poëtae consulere sibi videntur, quam id verae artis naturae, quae non perplexas obscuritates et aenigmata, sed sententias imaginesve ad evidentiam et perspicuitatem effectas in medio ponere solet, plerumque repugnet minime curantes.

Hoc igitur volo, ut in omni re quaeratur, quid quaeque aetas et quisque populus ejusque ingenium et humanitatis ratio ferat atque desideret, ne quid alieni intrudentes injuriam faciamus temporibus atque hominibus; volo ut in singulis rebus perscrutandis etiam communis illius fundamenti ac fontis, ex quo singula quaeque emanaverunt et profecta sunt, rationem habeamus quantum possimus maximam.

At contra hanc meam rationem probe intelligo quid proferri queat. Quae hucusque de Romani populi natura et ingenio exposui eo fere redeunt, ut si quaedam genera tantummodo ad similitudinem quandam artis accedentia exceperis, quum ab omni arte tum a poësi abhorruisse mihi videatur. Quod quum ita sit, jure aliquis dixerit: ut tibi consentiamus, ut populo Romano poësin abjudicemus, ut tecum satiricum et didacticum carmen ex poëticis generibus eximamus, ut quicquid poësis quadam specie libera republica florente comparet, tecum nullius momenti esse statuamus — at Virgilium, Horatium, Catullum, Ovidium, Tibullum, Propertium, alios, licet minoris existimes, itidemne poteris e poëtarum numero prorsus ejicere? Qui omnibus temporibus poëtae et habiti et dicti sint, iidem nunc desinent haberi? Quos tamen si et ipse poëtas esse existimes, vide ut tibi constes, qui omnino ab Romanis artem poëticam abjudicaveris.

Quas difficultates ut superem, generale quoddam quum de omnibus Romanorum poëtis tum de Horatio judicium faciam necesse est, quod tamen etsi paucis tantum lineamentis adumbratum erit, nisi statum Romanorum, qui post liberam rem publicam fuit, paucis ante complexus recte proferre non potero. — Jam supra significavi, populum Romanum, cujus ingenium in agendo potissimum positum erat inque externarum rerum anquirendarum contentione assidua versabatur, quum, quod peteret, consecutus esset ita, ut omnes omnium rerum, quae summae habebantur in civitate, participes fieri possent nullaque gens existeret, quae summum imperium Romanis ambiguum reddere posset, in languorem quandam paullatim ac depravationem delapsum esse et in universa republica et in singulis valde conspicuam. Quum enim tam quasi effectum esset universum totius civitatis ingenium, ut singulos novis tanquam alimentis novoque spiritu recreare ac reficere non posset, communia, quibus hucusque continerentur, vincula relaxata sensim dirimebantur vetusque morum disciplina magis magisque comminuta corruerat. Ita

singulorum quodam firmamento ac fundamento labante et concidente privatarum voluntatum et auctoritatum turba, discordia, furor gliscere et invalescere, denique in locum pristinae rei publicae tam firmæ tamque uno spiritu temperatae subrepere atque substitui. Quae rerum mutatio quum pededentim atque quasi insciis hominibus fieret, singuli quique adeo non sentiebant quam et ipsi degenerati essent atque a republica descivissent, ut suam ipsi voluntatem pro vera republica haberent eaque cum summo studio persequenda nihil agerent nisi ut everterent si quid rei publicae reliquum fuerat. In hac re instar omnium potest esse Cicero, qui quum esset in iis Romanis, qui praeter ceteros magnanimitate et prudentia excelluerunt, atque se ipse haberet patriae amatissimum, tamen patriam nisi ex sui commodi arbitriique ratione non iudicabat, unde factum est, ut pacem, leges, mores, virtutem et acerrime defenderet et temerarie tolleret, prout auctoritati suae in civitate muniendae commodum esse videretur.

Quare omnia his temporibus tumultuarie, turbulenter, dissolute, atrociter. Neque mirum esse potest in tanta et rerum et hominum perturbatione ac trepidatione pacatum rerum statum et quietem vehementer ab omnibus expetitam ac desideratam esse. Animorum perturbationes post tantas curarum jactationes quasi per se ipsae attritae atque extinctae erant, fluctus post tantas tempestates residebant, rei publicae, quae nulla jam erat, simulacro evanescente novus rerum ordo et status exsistebat, dominatio imperatorum, jam dudum illa quidem praeparata, paulatim atque cum bona pace emergens, necessitate adducta. Qui usque ad id tempus saltem rei publicae quodam simulacro contenti essent, ii tunc omni communis vinculo sublato ingentem diversissimorum ingeniorum voluntatumque turbam et confusionem efficiebant. Mentium diuturnis contentionibus exercitarum ardor et impetus, ferocia et confidentia, furor et immanitas effluxerant, cupiditates, libidines, vitia permanserant, quae quamvis inter se dissiderent et pugnant, tamen pace et otio ita indigebant, ut facile rem publicam unius hominis vel nequissimi arbitrio et libidini permitterent, dummodo sibi suisque studiis ac libidinibus vivere et operam dare possent. Semper quidem Romani sibi suisque studiis vixerant; quae tamen quoad re publica continerentur inque re publica versarentur et acquiescerent, quodcumque privatae licentiae ac libidinis erupit, id publica disciplina coercitum est et amputatum. Quum autem respublica non jam singulos cohibere singulorumque studiis satis facere posset, vel potius — id quod rem manifestius in medio ponit — quum nihil commune amplius esset, in quo singuli quique elaborarent, nihil publici amplius, quod ut fieret singulorum interesset, publica res dissolveretur atque in privatarum rerum turbam tumultumque dissiparetur necesse erat. Hae tanquam sibi emancipatae hominum voluntates et auctoritates, quae nullo jam communis vinculo constrictae tenerentur, fieri non potuit, quin aliae alio latae ad eam morum dissolutionem deflecterent inque eam vitiorum colluvionem deferrentur, qualem antiqui Romani non cogitare, nedum ferre potuissent. Recte igitur de hoc imperatoriae Romae tempore scripsisse videtur Gansius<sup>1)</sup>: „Die Tugenden des Kampfes und der Männlichkeit sind erloschen, und weil die Endlichkeiten sich nicht mehr hart drängen, sondern in Frieden beisammen wohnen, so nehmen die Tugenden des Krieges auch diesen friedlichen Character an d. h. sie gehen in die entgegengesetzten Laster über. Die Arbeit wird zur Träg-

<sup>1)</sup> Jus hered. II, 20.



*heit, der Ernst zu einer ungeschickten und unkünstlerischen Frivolität, die Müßigkeit und Ausdauer zu Schwelgerei und Veränderlichkeit, das Ganze endlich zu einem Privatleben, das, weil es auch aller Schönheit entbehrt, dieser Periode gegen die vorangegangene den Character der Ausartung giebt<sup>1)</sup>.*“

Memorabilis sane est rerum status! imperium longe lateque dominans et magnificentum, idem infirmissimum et putrescens; civitas pace et ordine constricta, eadem dissipata, occulte conspirans, tumultuans; imperator, cujus ex arbitrio cuncta pendeant, omnipotens, idem, quocum nemo sentiat, impotentissimus; singuli nullo more neque lege satis constricti, effrenati et insolentes, iidem ad tyranni libidinem ac nutum turpiter servientes. Qui tamen status quamquam a pristina Romanarum rerum ratione videtur diversissimus, tantum abest ut in casus quadam temeritate, aut in singulorum hominum arbitrio et culpa sit positus, ut non minus quam ille antiquitatis flos e natura et ingenio populi profectus et ortus sit, quae natura semper eadem, sed aliter aliis temporibus conformata et exulta et virtutum et vitiorum Romanorum parens est atque effectrix. Tales fructus peperit ac necessario peperit illud quasi principium Romanorum, ad talem vitae rerumque statum deferri fatum erat, fatum autem populorum quid est, nisi ipsorum populorum ingenium?

In hac miserrima rerum conditione, in qua nihil certi ac firmi hominibus, nihil commune atque constans, nihil est, in quo cum tota mente et cum ardore quodam animi esse et elaborare, nihil, quod pie sancteque colere possint, in qua alii alio studiis et voluntatibus feruntur ac dissipantur, unum tamen est, quod vel ex hujus aetatis natura et fundamento aut solum ex eo gigni potuerit et ad perfectionem quandam conformari, excellentissimum dico illud jus privatum. Etenim quum respublica in rem privatam abisset, singuli in rebus privatis tantum versarentur atque quae antea respublica fuerat, privata res facta esset imperatoris, necessario accedit, ut in tanta privatorum studiorum turba sua quisque tutari, munire et quasi circumvallare legibus studeret. Sic jus privatum mirum quantum excultum est, quae ut praestantissima tanquam hereditas est, quam imperatoriae aetatis Romani posteritati reliquerunt, ita Ulpiani et Papiniani pro Scipionibus et Catonibus hujus aetatis habendi sunt.

Hujus aetatis, quam velut extremis lineis descripsimus, initia incidunt in aetatem quum ceterorum poetarum, quos modo memoravi, tum Horatii. Ac primum quidem quaeritur, quid sit, quod in tanta artium artificumque inopia eo demum tempore tam multi exstiterunt, qui — ut omittamus hic, qualis fuerit eorum poësis — tam studiose artibus vacarent. Hoc quomodo fieri potuerit factumque sit, ut jam iis, quae supra dicta sunt, explicatum est, sic demonstratur etiam exemplo Graecorum, quorum artes et artifices tum demum ad tantam ubertatem et varietatem effloruerunt, quum illa antiqua simplicitas, illa severa morum disciplina rigidaque reipublicae ratio laxata est et concessit. Ars enim nisi ab emancipatis sibi quodammodo ingeniis animisque non nimis quasi vinctis recte tractari non potest. Vides igitur, etiam illam Romanorum poetarum copiam non casui cuidam deberi. Quod in antiqua disciplina rei publicae studiis florentissimis aut fieri non poterat, aut, si fieret, dedecori erat, id paullatim mutato rerum statu aut

<sup>1)</sup> Leviter tantum imperatoriae aetatis rationem et statum adumbrat Hegelius in historia philosopha p. 324 sqq., ut pauca ex disputatione ejus liceat promere.

non dedecus aut honorem quemdam parabat; et sic factum est, ut multi, qui liberalioris essent naturae, ad literarum maxime Graecarum studia delati delectationem quandam ex artibus caperent, haud pauci autem, quum aliis studiis non retinerentur, artium tractatione et quasi liberiore vitae animorumque ratione ac spiritu incitati ipsi arti poëticae operam darent. Et quum quicquid Romani fecerunt, id alacritatem quandam et laborem prae se ferret, etiam in poësi eorum studium et industria elucet haudquaquam exigua. Ac magnum quiddam erat linguam tam parum in usum poëticum exercitam et subactam, tam classica, tam strepitum forensem, tam legulejorum acrimoniam sonantem ita tractare et elaborare, ut ad poëticae orationis multiplices flexus et numeros emolliretur, ad magnam colorum luminumque varietatem locupletaretur funderetque florum et imaginum copiam admirabilem. Et in hoc tametsi superiorum, velut Ennii et Lucretii laboribus multumque item dicendi studiis oratorum adjuti sunt, tametsi etiam linguam ipsam nativas nonnullas virtutes, velut gravitatem, plenum sonum, vigorem, modo atque cultura adhibitis, poësi accomodatissimas praebuisse concedendum est, tamen per magnum fuisse horum virorum studium, permagnaam sollertiam ingenii dixeris, qui tam duram materiam tantopere temperare et fingere adque tantam formae perfectionem elaborare potuerint. Atque in hac magna formae perfectione summam hujus poësis Romanae laudem positam esse existimo, ad hanc duntaxat externam quasi speciem, ad elaboratam subtilitatem, ad orationem luminibus floribusque distinctam et illustratam, ad commode dictorum sententiarumque felicitatem quandam, ad eas denique virtutes, quae singulis potissimum artificiis et veneribus continentur et tum studio laboreque pariuntur, tum per felicem quandam audaciam arripiuntur, pertinere puto quicquid apud Romanos jure quodam poësis nomine fertur.

Quae tamen forma quamquam aliquantulum poëticae laudis habet atque Romanis quandam poësis gloriam vindicare videtur, manifestum est quam sit non sufficiens ad veram poësin efficiendam. Idea ac spiritus ubi desunt, quae intus alunt, suoapte impetu et occulto aevo gignunt, fundunt, illuminant, quibus tanquam commune illud fundamentum paratur, in quo collocati familiaritatem cum sua gente poëtae contrahunt, quibus et ipsi permoventur et alios permovent, quibus et suum et gentis suae pectus recludunt et quasi effundunt, quibus popularis ingenii fiunt interpretes et vates, ibi vera poësis abesse putanda est. Jam vide hanc internam poësis rationem spectans quanta inopia laborent, qui maximi Romanorum poëtae habentur, quam toti in Graecis habitent, quam Graeca Romanis tingant et inficiant, Romana cum Graecis contaminent et commisceant, quam fere nihil promant, quod sit ex Romano ingenio vere casteque profectum. Quod quidem ipsis minime vitio tribuendum est, quasi alii si periculum fecissent, melius felicisque fuissent facturi. Causa non in poëtis sita est, sed quum in universo populo ejusque sentiendi vivendique ratione tum in aetate, qua scripserunt. Populi enim ratio ita comparata erat, ut nihil neque faceret neque sentiret, quod poëtis materiam satis idoneam atque tractabilem posset praebere, aetatis autem ea ratio erat, ut in tanta ingeniorum diversitate et quasi dissipatione fere nihil commune esset, quod omnium sensus et pectora ferire posset et permovere. Ita factum est, ut illi quamvis sollerter linguam latinam tractarent, quamvis docte in Graecis literis versarentur, quamvis artificiose Romana cum Graecis contaminarent, quamvis eleganter tersas atque limatas sententias procuderent, amicos et existimatores haberent nonnullos, tamen neque totum populum movere vel delectare, neque quicquam ad ingenium ejus excolendum atque emendandum possent



valere. Scio equidem quod scriptor dialogi de oratoribus narret de honore Virgilio publice habito <sup>1)</sup>: „malo,“ inquit „securum et quietum Virgilii secessum, in quo tamen neque apud Divum Augustum Gratia caruit neque apud populum Romanum notitia. Testes Augusti epistolae, testis ipse populus, qui auditis in theatro versibus Virgilii surrexit universus et forte praesentem spectantemque Virgilium veneratus est sic, quasi Augustum.“ Haec tamen si vera sunt, vereor ne admodum singularia fuerint, atque melius, quo in honore etiam illo tempore poesis et poëtae fuerint apud Romanos, cognoscere mihi videor quum ex iis, quae et alii et Horatius in adumbrando populi aetatisque suae ingenio proferunt, tum ex Ovidianis illis:

Nunc hederæ sine honore jacent operataque doctis

Cura vigil Musis nomen inertis habet. etc.

Graecos accepimus, quum Homericæ carmina recitarentur, densa corona adstitisse auribusque imbibisse arrectis, Atheniensium totum populum in summorum poetarum tragoediis et comoediis spectandis cum summo studio et delectatione audivimus affuisse, quod et ipsi, quod pulcrum esset, sentiebant, et poëtae argumenta tractabant inque medio ponebant, quae quasi omnium essent communia. Docta vero illa Aeneis, docta omnino omnium poëtarum Romanorum studia quomodo Romanos panem et circenses hiantes tenere delectareque poterant?

At poësis lyrica, dixerit aliquis, placere illa quidem vult, neque tamen multorum favorem concupiscit suntque multa ejus genera, quae quamquam singulos mire delectant, ab universorum intellectu et sensu non possunt non esse alienissima. Noli igitur quaerere, a quot suae gentis hominibus amati et intellecti fuerint hi poëtae, demonstra potius, quod demonstrare coepisti, a materia illam poësin et argumento inopem fuisse et destitutam.

Quare deflectat oratio ad eum, quem lyricorum Romanorum fere solum legi dignum dicit Quinctilianus, ad Horatium, cujus etsi hucusque vixdum mentionem feci, tamen quicquid disputavi, id eo consilio disputatum est, ut generale quoddam fundamentum haberetur, quo cognito et ceteri Romanorum poëtae et Horatius non funditus de medio tollerentur, sed cum ea cautione et circumspectione legerentur, sine qua rectum iudicium fieri potest minime. Atque hoc loco breviter complexi in animo est, Horatii poësis lyrica ab forma tam limata tamque feliciter elaborata quantopere, si internam rerum rationem spectas, claudicat quamque vix in ullo numero duci possit; sed id quum non tantummodo generatim atque universe significandum sit, sed per singula quaeque persequendum ac demonstrandum, hoc loco paucis tantum lineis adumbrabo, quod singillatim tractandum posteriori scriptionis particulae reservavi.

Sollertiam orationis tractandae insignem, limatarum sententiarum quandam copiam, usum poëticorum quorundam artificiorum saepe felicissimum poëtis hujus aetatis tribuenda esse putavi, eandem laudem Horatii fuisse dico; verae poësis ingenium ac spiritum quum omni Romano populo, tum aetati Augustae ejusque poëtis defuisse dixi, idem Horatio derogandum esse existimo. Hoc autem non ita sum demonstraturus, ut quale fuerit Horatii ingenium, ex scriptis ejus atque ex iis, quae de vita et rebus ejus traduntur, exquirendum esse putem, in qua re quamvis utili et aliquo modo necessaria labi proclive est, sed et tutius neque minus idoneum esse videtur quaerere, quale poëtae ingenium in tali temporis populique ratione, quibus rebus pectus ejus commotum animusque occupatus esse potuerit.

<sup>1)</sup> Dial. d. orat. 13.

Odofredus Müllerus de Alcaei carminibus disputans <sup>1)</sup> scripsit haec: „Man sieht, dass es kein müssiges Spiel, kein künstlicher Zeitvertreib war, sondern das innerste Bedürfniss der Seele, welches zu diesen Poësie drängte; das Gemüth muss seine leidenschaftliche Bewegung äussern, um den zu gewaltigen Drang derselben zu müssigen, zu mildern. Wie sehr tritt dagegen die Odenpoësie des Horaz in Schatten, der bei aller Feinheit der Gedanken und bewunderungswürdigen Kunst der Ausführung doch gerade das fehlt, was der Aeolischen Lyrik am wesentlichsten war, das im Innersten erschütterte, leidenschaftlich bewegte Gemüth.“ Vide quam haec cum Herderi, Göthii, Hegelii iudiciis consentiant. Atque nihil profecto dici potest verius. Animus commotior, ardor poeticus, divini illi carminum pangendorum igniculi ac semina poësi Horatianae desunt, ut singulis exceptis rhetoricae quoddam genus rectius quam poësin possis appellare. Causa autem ejus rei quamquam etiam in singulari ingenii Horatiani ratione sita est, maxime ex totius populi totiusque aetatis indole repetenda est. Pectus est, quod et disertum et poëtam facit; sed quaero, quanam sint illae res, quae Horatii pectus altius permovere, funditus concitare et tam graviter quam vere afficere atque ad canenda ea potuerint impellere, quae rursus aliorum animos pellerent et commoverent? Magna est in omni antiquitate rerum gestarum ubertas, magna paupertas sensuum; nondum satis enim animus humanus ex rebus ad se reversus necdum satis ad sui conscientiam quasi recollectus in rebus nimis habitat et occupatus est, nimisque earum veluti vinculis continetur, quam ut ad magnam ipse ubertatem et copiam efflorere sensuumque magnas divitias expromere possit. Christiana demum doctrina accidit, ut homo in pectoris sui penetralia et intimos recessus quasi descenderet atque opes ejus recluderet et aperiret. Hinc factum est, ut antiquitatis lyrica poësis exiguum tantum orbem describeret perpaucaque, si cum nostro tempore comparamus, rerum argumenta contineret. Nam etiamsi non in ea rerum paucitate acquiescimus, quam Horatius lyricae poësi tribuit: <sup>2)</sup>

Musa dedit fidibus divos puerosque deorum,  
Et pugilem victorem et equum certamine primum  
Et juvenum curas et libera vina referre.

tamen magnam esse apud antiquos, ut ita dicam, pectoris angustiam, magnam lyricae poësis paupertatem fateamur oportet. Hoc quamquam in omnem antiquitatis lyricam poësin cadit, tamen in Romanis atque in Horatio cernitur maxime. Quaero enim quid fuerit, quod Horatii animum vere et intime afficere ac permovere, quod ad carmina facienda inflammare posset? Num forte religione deorumque pietate ardor quidam animi divinusque ille furor poterat concitari? At Romanorum religio in angore ac formidine humani ingenii posita vidimus jam quam parum idonea fuerit, quae arti quidquam materiae vel argumenti praerberet; nihil in diis Romanis neque certi neque pulchri erat, quod a poëta tractari potuisset. Factum scilicet est, ut cum ceteris orbis terrarum diis etiam pulchri Graecorum dii Romam arcesserentur, quos poëtae ad carmina sua poterant adhibere et adhibebant. Sed tales dii, e longe diversi populi ingenio profecti longeque diversis rationibus accomodati quemadmodum usui et lusui esse potuerint, manifestum est et

<sup>1)</sup> Graecar. litt. hist. I, p. 306.

<sup>2)</sup> A. P. 83 sqq. cf. Carm. IV, 2, 10 sqq.



comprobatur etiam nostratum poetarum exemplo, qui quondam in Olympi diis colendis multi erant; pietatem quandam excitare pectusque ad pia carmina fundenda movere certe non potuerunt. Alcaeus quum in hymno quodam Majae filium celebraret atque de ortu ejus et quomodo recens natus Apollinis boves furatus fratri minanti mox et pharetram callide subtraxisset et concitasset risum, praedicaret, pietate quadam ductus suum deum in suo suorumque pectore quasi habitantem et Graecum ingenium reddentem celebravit. Sed Horatius quum idem carmine proponeret, aut quum aliorum Graecorum deorum res et mythos versibus enarraret, num pii animi impetu abreptus esse, an sive docte lusisse sive pompae cuidam et ostentationi videtur inservisse?

At si religio resque divina Horatium vere commovere verumque poësis argumentum praebere non potuit, potuit fortasse respublica, potuerunt gloria, patria, victoriae, virtus, disciplina. Sed etiam de his rebus supra expositum est. Graeci ita pugnabant et vincebant, ita victorias celebrabant, ita in omni re publica agitabant, ut ubique pulchrae humanitatis specimina ederent, quibus uberrima poëtis silva ad contexendum et elaborandum praebebatur; dura Romanorum ratio a poëtica tractatione prorsus abhorrebat. Et si non abhorruisset, Horatii tamen aetate plane conciderat; perierat virtus, dissoluta erat disciplina, respublica nulla jam erat, ad unius nutum omnia fiebant ad unumque pertinebat, si quid gloriae pareretur, patria erat quod quisque privatorum studiorum habebat. Ut igitur nihil in re publica erat, quod singuli quique ad se pertinere putarent, nihil quod singulorum animos vero studio, amore, admiratione, odio, ira permoveret, sic singuli quique e re publica recesserant atque in otio privatorumque studiorum consecratione degebant et versabantur. Sic Horatius. Num rei publicae vivere, num honores, magistratus, imperia capessere, num bella gerere, num de publica salute cogitare, num quid earum rerum curare et sectari voluit, quibus rebus magnum factum esse scimus imperium Romanorum? Minime vero. Sibi et otio suo vivere voluit. Egregie igitur Prutzius <sup>1)</sup> de nostris superioris saeculi poëtis disserens scripsit: „Aber noch bedenklicher und jedenfalls einflussreicher ist die conventionelle Gesinnung, die zugleich mit diesen Aeusserlichkeiten aus der antiken Dichtung in unsere moderne überging; nämlich jene Tranquillität, jene angeblich antike Ruhe, jene Abwendung von öffentlichen Zuständen, wie sie sehr bald und bis auf den heutigen Tag unter unsern Gelehrten (und mehr oder minder als Gelehrte haben wir sämtliche Dichter jener Zeit zu betrachten) einheimisch wurde. Von Opitz an, bei welchem diese Caprice der Tranquillität schon in ihrer ganzen Stärke erscheint, klingt fast bei allen Poëten dieses Jahrhunderts das Horazische: „Beatus ille, qui procul negotiis“ in allerhand Modulationen immer und immer wieder an. Wir können hier nicht nachweisen, wie es zugeht, dass das, was allein bei dem Namen Römischer Poësie man im Sinne zu haben pflegt, in der That in Zeiten sich entwickelt hat, wo der eigentliche Römische Geist bereits geknickt und erstorben war, in der berühmten Epoche nämlich des Augustus; nur dass dies wirklich so ist, zeigt eben die unpolitische, unrepublikanische und überhaupt unmännliche Zurückgezogenheit von der Bewegung des Lebens und der Geschichte, die fast durchgängig in diesen hochgefeierten Poëten sichtbar wird, und die wir, trotz, ja sogar wegen seiner Aeneide in Virgil kaum weniger, als in Horaz zu erkennen meinen, welcher letztere allerdings das rechte Muster und zugleich der eigene Herold dieser Neutralität geworden ist.“

<sup>1)</sup> Götting. Dichterb. p. 50 sq.

Quare recte sensisse Horatium mihi persuasum est, quum rem Romanam sese Augustique res gestas et gloriam carminibus celebrare non posse profiteretur, in eo tantum, ut mihi quidem videtur, falsus, quod sui ingenii angustae naturae tribuit id, quod in universae aetatis suae ratione necessario positum erat. Ubi autem nihilominus ad talia aspirat, ingens quantum friget, inque nullis carminibus operositas illa et meditata elegantia habetur manifestior. Theognis Megarensis quum de mutato rei publicae statu, de bonorum ereptione, de infimorum hominum dominatione quereretur, Alcaeus quum in Myrsilum, Megalagyrum et τὸν κακοπάτριδα Πιπταχόν inveheret „duraque navis, dura fugae mala, dura belli“ referret, Solon quum in jambis suis de ordinata ab se republica exponeret, quamvis diversis plectris uterentur, tamen toto pectore fuisse in rebus, quas canerent, vel ex paucis eorum carminum reliquiis apparet, ut facile cognoscas hos viros nihil dixisse, nisi quod penitus sentirent quoque animus vere percuteretur, et quod vel armis vi-taque sua, data potestate, defendere atque obtinere parati essent. Sic factum est, ut in eorum poësi veritas et humanitas quaedam resonaret et obvia esset, sine quibus vera poësis existere non potest. Id in Horatio plane aliter se habet. Qui quum Augustum celebret, qui

— seu Parthos Latio imminentes  
egerit justo domitos triumpho,  
sive subjectos orientis orae  
Seras et Indos —

sive:

— — adjectis Britannis  
imperio gravibusque Persis —

sive quum eundem urbe abiturum fortunae commendet:

Serves iturum Caesarem in ultimos  
orbis Britannos; et juvenum recens  
examen Eois timendum  
partibus oceanoque rubro —

sive quum reditum Augusti e Galliis exoptet:

lucem redde tuae, dux bone, patriae;  
instar veris enim vultus ubi tuus  
affulsit populo, gratior it dies,  
et soles melius nitent —

sive quum Raetos, Vindelicos, Genaunos, Breunos, alios devictos esse gratuletur, ubique oratoris potius quam poëtae partes agere, magis verba facere, quam e commoto altius pectore spiritum et sensa ciere et effundere videtur. Id quemadmodum iudicium nostrum effugere non potest, sic non est, quod soli Horatio vitio tribuamus, nititur enim illius aetatis ingenio et statu, quippe quo neque universus populus neque otiosus noster poëta multum quaereret, „quid Seres et regnata Cyro Bactra Tanaisque discors“, quidque Parthus et „bellicosus Cantaber“ pararent, et cum Augusto neque populo neque Horatio antiquae quoddam intimaeque familiaritatis et pietatis genus intercederet neque posset intercedere. Ubi autem nulla rerum publicarum cura est, ibi carmina talia ad officiosam quandam rationem potius, quam ad veritatem revocanda sunt neque iudici quidquam nisi orationem eleganter vinctam luminibusque distinctam praebent.



Idem dicendum est de iis carminibus, in quibus de antiquae virtutis interitu depravatoque rerum statu conqueritur: in quibus quum multa graviter ac magnifice sint dicta, tamen proprium poëtae ardorem deesse facile senties. Idque mihi videtur non aliter fieri potuisse. Qui enim ipse in molli otio delitescit absque publicorum laborum curarumque fortitudine remotissimus est, quo is jure fractam suorum virtutem incusare, qua vi et gravitate mollitiam, inertiam et ignaviam poterit perstringere? Quamquam ne eo quidem nomine Horatium vitupero, quem gentis suae labente ingenio fatique necessitate obstrictum esse video.

Venio nunc ad eum locum, de quo video curta latini sermonis suppellectili utens quam parum possim exponere, praesertim quum hic extremis lineis tantum res adumbranda sit. Plurima pars carminum Horatianorum versatur in aliis rebus, veluti in amoribus, in vino, in conviviis, in vita rustica, in poësi, in amicitia, in sentiis quibusdam generalibus. In quibus rebus tractandis multa egregie dicta multaue suaviter picta et delineata esse, nemo profecto est qui neget; sed etiam in his maximam partem plenum pectus, ardorem instinctumque poëticum et verum illud quasi jus poëtae desiderari, mihi quidem non minus certum est. Ferunt sua quaeque tempora et hominum ingenia; aliena aspernantur. Psalmorum libros quis apud Graecos quaesiverit, Sacuntalam quis apud Judaeos? Atqui si nihilominus in Graecis literis aliquid psalmorum simile deprehendisse tibi videaris, ac si multi sint, qui maximis laudibus extollant et celebrent, quid faciendum erit? Nonne is, cujus intelligens est et sanum iudicium, psalmorum rationem a Graecorum ingenio plane alienam esse dicet, nonne hoc iudicio tanquam fundamento nitens caute et circumspecte eos habebit, nonne diligenter vestigia persequetur, quibus appareat, hic non psalmos, sed doctam imitationem sive lusum quemdam sive quiddam ad psalmorum quandam similitudinem tantum accedens haberi? Quae quum ita sint, idem in Horatio fieri oportet. Anacreontem, ut hoc exemplo utar, si vina, puellas, pueros, convivia, coronas et jocos carminibus celebrare legimus, hanc veram poësim esse poëtamque totum in his rebus fuisse et sentimus et jam ex eo colligimus, quod quum omnes Graecos laete et hilariter vitam agitasse tum Anacreontem ipsum in aula Polycratea illarum rerum usu florentissima degisse constat. Movit poëtam quod omnium mentes movebat, quod in more erat quodque omnium vivendi rationi conveniebat. At Horatium talia canentem quamquam neque nimium quantum his rebus indulsisse putamus, neque omnino quod indulserit, vituperamus, tamen ea tractasse scimus, quae neque in more neque in honore apud Romanos fuerint neque vere tenere Romanum potuerint. Si non in more fuisse dico, tantam libera republica florente vitae severitatem, tantum laborem fuisse dico, ut ejusmodi gaudiis parum et temporis et animi concederetur eaque laborum potius recreationes quam quasi quoddam vitae propositum summusque finis ducerentur; quum autem res Romana concidit, tum haec quoque labem ac depravationem traxerunt privatorumque libidini et effrenationi permissa corruptelam morum et ostenderunt et auxerunt. Difficillimum in hac rerum dissolutione dicere est quid moris quidque fas fuerit, tanta diversorum ingeniorum studiorumque turba est, ita alii alia sectantur aliaque aliorum ratio est. Alii intonsae antiquitatis morem affectant austerae illius ac rigidae virtutis interitum lugentes, quasi ipsi soli ejus patroni superstites, alii ad munditiarum, mollitiarum deliciarumque insolentiam delati effrenata luxuria diffluunt, alii graecissant adque Graecorum morem modumque sese revocantes aureae mediocritatis viam sibi reperisse videntur. Neminem tamen in his studiis acquiescere posse, neminem in his rebus totum esse videmus. Graeci in conviviis, in amoribus, in omnique vivendi hilaritate toti esse potuerunt:

αἰεὶ δ' ἡμῖν δαίς τε φίλη, κίθαρίς τε χοροὶ τε,  
εἶματά τ' ἐξημοιβὰ, λοτρὰ τε δευρὰ καὶ εἶναί —

Romani non potuerunt, obstabat natura ingeniumque; et quum non toto animo in talibus rebus occupati esse possent, celebrandi carminibus veram vim et quasi quoddam jus defuisse dico. Miserum est illud hominum genus, nihil certi habet, nihil stabile, nihil commune, nihil quod pectora omnium impleat totosque animos concitet nihilque quod effatum ab singulis in universis quasi resonet. Antiqui mores et antiqua sentiendi ratio evanuerunt, omnia dissoluta sunt, quidquid autem novorum studiorum et sententiarum existit, id particulare quiddam est et in singulis tantum existit, neque commune quidquam, quod ad omnes pertineat, potest efficere. Etenim in quo quasi fundamento usque ad illud tempus genus humanum elaboraverat multasque et magnas res consecutum erat, in eo tum non amplius elaborare licuit, Romanorum labores inclinari et ad finem vergere coeperunt, Roma tanquam cardo rerum esse desiit, atque in fatis erat, ut in novo quodam fundamento nova rerum humanarum historia pertexeretur. Sed non subito arbor exciditur et quum excisa est, nondum evulsa est progemmatque et fruticatur, qui surculi tamen et vera medulla et veris floribus et veris fructibus carent. Hanc tanquam communem incolumis arboris medullam, hoc commune sentiendi fundamentum, hoc verum omnis poësis jus, hanc poëti ingenii genetricem, hanc poëtae vim et flammam quum omnibus his Romanorum poëtis tum Horatio defuisse mihi certum est.

Hic subsistendum interim esse puto. Ac me non praeterit, quum multa fuerint, quae per angustam latini sermonis naturam aut reticenda aut cursim tantum significanda essent, nova me sane exprompsisse perpauca eaque, quae harum scriptionum ratio esse solet, tumultuarie exposita. Sed satis egisse mihi videbor, si id effecero, ut viri artem criticam factitantes in posterum in Horatii poësi lyrica aestimanda praeter cetera diligentius quaerant, quae et ingenii Romani et aetatis Horatianae ratio fuerit universa. Quod si consecutus ero, facile patiar meam scriptionem vilipendi. Sed si qui sunt — et cur non sint? — qui mera novarum rerum formidine et odio tales quaestiones horreant ac detestentur, iis quum nihil scripserim, ut ne omni munusculo careant, lepidam fabulam narrabo, quam ex Ricardo Paceo Ricardus Bentlejus, e Bentlejo F. A. Wolfius repetiit, brevem illam quidem, sed studiorum rationi multorum, ut videtur, accommodatissimam: Fuit olim in Britannia indoctus quidam sacrificulus, qui triginta per annos recitans librum horariarum precum, quod Breviarium vocant, pro verbo Sumpsimus legere solitus erat Mumpsimus. Is quum natu jam grandior ab amico ultra ordinem literato monitus esset, ut ridiculum errorem deponeret, vocem insolitam miratus religiosus homo pro simplicitate sua respondit: non videre se, cur antiquum suum Mumpsimus mutaret novo alterius Sumpsimus.

Jam vero schedas has perlustrans, Viri ornatissimi, quorum clarissima nomina disputationi meae inscripta sunt, vereor ne petulantius egisse videar, quum Vobis proponerem, quae Vestra doctrina parum digna inque tironum magis usum scripta videntur. Vile Sabinum sanequam pudet et cichoream levesque malvas apposuisse Saliaribus dapibus assuetis, —

ῥεχθὲν δέ τε νήπιος ἔγω.

Valete.